This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

<36635240220017

<36635240220017

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

4° Litus 568 I - 1/2

Digitized by Google

RITUALE ROMANO-CAPUCINICUM

præcipuè ad uſum.

PROVINCIÆ, BOHEMIÆ, MORAVIÆ & SILESIÆ,

diſpoſitum

ac in duas partes diviſum.

In quarum prima agitur.

De Ritibus certis Anni temporibus tam in Sacrificio Miſſæ, quàm in officio Divino ſervandis.

Deinde quomodo obſcuriores Rubricæ tam Miſſalis, quàm Breviarij intelligendæ, ac in praxim redigendæ ſint.

Demum qualiter Fratribus moribundis Sacramenta adminiſtranda, ac ſubſidia ferenda; Defunctorúmque corpora ſepelienda, clarè explicatur.

In Secunda verò parte tractatur de externis quibuſdam Ritibus ad Religionis Politiam & Domeſtica munia rectè obeunda pertinentibus.

PRAGÆ, Typis Univerſit: Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Soc: JESU, ad S. Clementem. per Factorem Adalbertum Georgium Konias. Anno 1696.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

PRÆFATIO.

PRodijt quidem multos ante annos in lucem aliquod Rituale, ſeu Opus de Sacris Ritibus, externísque cæremonijs, à R. P. Zacharia Boverio Salutienſi, de mandato A. R. P. Clementis à Noto totius Ord: FF. Min: Capucinorum Generalis Miniſtri compoſitum, & uſui FF. Ord. noſtri accommodatum, ab ejúsque ſucceſſore A. R. P. Joanne à Noto prælo commiſſum. Quia verò nullum amplius de illo Exemplar haberi poteſt, nec etiam omnes illius Ritus & cæremoniæ, utpotè Provincijs Italicis magis accommodatæ, in noſtra Provincia practicari poſſunt. Eapropter non ſolùm utile, verùm etiam neceſſarium viſum fuit RR. PP. noſtræ Provinciæ Bohemiæ, Moraviæ, & Sileſiæ ad receptas ab Eccleſia cæremonias & Ritus, tam in Divino Officio, quàm in tremendo SS. Miſſæ ſacrificio, nec non in alijs Regularibus functionibus juxta Rubricas tam Breviarij quàm Miſſalis Romani, juxtáque decreta Sac: Rit: Congr: diverſis temporibus emanata, accuratiùs ac uniformiùs obſervandas, aliquod Rituale confici curare, &

typis

Digitized by Google

typis mandare, quod usui quotidiano magis accommodatum, & juxta annuorum Rituum ordinem ac antiquam Religionis & Provinciæ nostræ consuetudinem digestum, facilius memoriæ imprimi, & in communem praxim deduci possit. Sciendum autem Ritus & Cæremonias hocce libro contentas, non esse novas aut insuſitatas, cùm à S. Conc: Trid: sess: 7. Can. 13. sub anathematis pœna cautum sit, nè recepti approbatíque abEcclesia Ritus ullo modo contemnantur,aut pro libitu omittantur, vel etiam in novos ac inusitatos commutentur: *Sed omnia ex approbatorum Authorum, qui in Rubricas Missalis & Breviariij scripserunt, commentariijs, maximè Admodum Reverendi Domini Bartholomæi Gavanti Sacr: Rit: Congr: olim Consultoris, ejúsque Compendiatoris Claudij Arnaudi, Item Gerlaci Vinitoris, Bartholomæi Corsetti, Tobiæ Lohneri, aliorúmque recentiorum & celebriorum Rituali starum, nec non ex Rituali, tum Romano, tum Ordinis nostri supra mentionato desumpta esse. Quibus in secunda Parte accessère certi Ritus ac Cæremoniæ in Religione, & Provincia nostra usu ipso ac consuetudine approbatæ: ut illis Religiosa nostri Ordinis Politia suis splendoribus aucta, indies clarior & illustrior evadat, & juxta Apostoli monitum 1. Corinth: 14.* Omnia honestè & secundum ordinem fiant.

Cen-

Digitized by Google

Cenſura duorum Theologorum Ordinis.

ANimadvertentes Reverendi Patres FF. Min: Capucinorum Provinciæ noſtræ Bohemiæ plurium annorum experientiâ, non decorum modò, ſed & neceſſarium eſſe, ut ij, qui ſub eadem Profeſſione Religioſa ſe Deo conſecrârunt, ijsdem etiam Ritibus, & Cæremonijs, tum in Miſſæ Sacrificijs, officiisque Divinis, tum in alijs Sacris functionibus, paſſim per annum ſecundùm laudabilem Provinciæ morem occurrentibus, tum etiam in domeſticis munijs, ac externa Politia conſonâ per totam Provinciam uniformitate uterentur, allaborârunt, ut Ritus & Cæremoniæ à zelantioribus, & Diſciplinæ Religioſæ peritioribus Patribus ſparſim hinc inde notati, aut etiam in Rituali Ordinis expreſſi in unum Rituale Romano-Capucinicum, præcipuè ad uſum Provinciæ noſtræ Bohemiæ, Moraviæ & Sileſiæ diſpoſitum, & in duas partes diviſum colligerentur, ac typis mandarentur, ut plurium manibus volvi, & ſecundùm illud Deus unus Sanctâ uniformitate ab omnibus Provinciæ Alumnis laudari valeret. Quod ubi tandem magnâ curâ confectum eſſet, commiſit nobis infra ſcriptis A. R. P. Chryſanthus Tridentinus Miniſter Provincialis Provinciæ hujus, ut *Rituale* ptæfatum ſedulò, & accuratè legeremus, quod etiam eâ, quâ par erat, induſtriâ executi ſumus, nihilque in eo, quod aut fidei or-

Digitized by Google

thodoxæ, aut bonis moribus adversaretur, reperimus, quin imò in ijs, quæ ad functiones ab Ecclesia ordinatas pertinent, quantum statûs nostri tulit simplicitas, pro possibili esse accomodatum: in alijs verò quæ Provinciæ specialia & propria sunt, ad simplicem, sanctámque concordantiam, & proximorum ædificationem plurimùm conferre deprehendimus, ut exinde ad communem Provinciæ utilitatem jure merito Lucis publicæ fieri posse ac debere judicemus. In fidem testimonium hoc propriâ manu subscriptum dedimus. Pragæ in Hratschin in Conventu nostro S. Mariæ Angelorum die 15. Maji. Anno 1696.

Fr: Nazarius Silesius Capucinus
Gvardianus & Definitor.

Fr: Guilielmus Bilinensis Capucinus
Definitor & Custos.

Cen-

Digitized by Google

Censura & Approbatio Ordinarij.

EX commissione Venerabilis Archi-Episcopalis Consistorij Pragensis, legi Rituale præsens Romano-Capucinicum, ad usum Provinciæ Bohemiæ, Moraviæ, & Silesiæ dispositum, ac in duas partes divisum: nihil continet Fidei aut Regulis sacris adversum, sed doctrinam, leges, & Cæremonias juxta Seraphici Ordinis observantias, in Choro quidem, ad uniformitatem cultûs Divini conservandam; in foro autem, seu in regimine externo ad vitam moresque formandos pertinentes. Hinc typis utiliter mandari poterit. Dabam Pragæ 3. Augusti, Anno 1696.

Christianus Aug: Pfaltz SS. Theol:
Doct: S. Metrop: Eccl: Archidiaconus,
Collegiatæ ad D. Petrum Budissinæ senior Supremus Regni Bohemiæ:
Quæstor.

Imprimatur
WENCESLAUS
BILEK à Bilenberg
Officialis.

JOAN: FRANCISCUS LIEPURE
Cancellarius.

Fa-

Digitized by Google

Facultas Admodum Reverendi Patris Provincialis.

VIsis censuris & approbationibus non solùm duorum Theologorum nostri Ordinis, sed etiam Venerabilis Archi-Episcopalis Consistorij Pragensis, ut Rituale præsens in duas partes divisum, & ad usum FF. Min: Capucinorum, maximè Provinciæ nostræ Bohemiæ, Moraviæ & Silesiæ accomodatum, utiliter typis mandari possit. Proinde, quantum in me est, ad hoc libens facultatem præsentibus impertior. In cujus rei fidem propriâ manu subscripsi & Sigillo Officij mei communivi. Datum Budvitij in Conventu nostro ad S. Annam. Die 9. Augusti. Anno 1696.

Fr: Chrysanthus Tridentinus FF.
Min: Capucinorum Provinciæ
Bohemiæ Minister Pro-
vincialis

Index

Digitized by Google

Index Capitum Primæ Partis

Caput 1. De tempore Adventûs. pag: 1.
Cap: 2. De Vigilia Nativitatis Domini. pag: 4.
Cap: 3. De Sacratissima Nocte & Die Nativitatis Domini. pag: 7.
Cap: 4. De Festo S. Joannis Evangelistæ. pag: 11.
Cap: 5. De Vigilia Epiphaniæ Domini, & ipso Festo. pag: 14.
Cap: 6. De Festo Purificationis B. V. Mariæ. pag: 47.
Cap: 7. De Festo S. Blasij E. & M. pag: 52.
Cap: 8. De principio & fine Quadragesimæ Benedictæ: pag: 54.
Cap: 9. De Feria quarta Cinerum. pag: 56.
Cap: 10. De Tempore Quadragesimali. pag: 59.
Cap: 11. De Dominica Palmarum. pag: 62.
Cap: 12. De Feria IV. majoris Hebdomadæ, pag: 68.
Cap: 13. De Feria V. in Cœna Domini. pag: 71.
Cap: 14. De Feria VI. Parasceves. pag: 80.
Cap: 15. De Sabbato Sancto. pag: 91.
Cap: 16. De Dominica Resurrectionis, & tempore Paschali. pag: 100.
Cap: 17. De Litaniis Majoribus & Minoribus. pag: 104.
De Vigilia Ascensionis, pag: 107.
Caput 18. De Vigilia & Festo Pentecostes. pag: 108.
Cap: 19. De Festo Corporis Christi & ejus Octava. pag: 110.
Cap: 20. De Processionibus. pag: 118.
Cap: 21. De Precibus Quadraginta Horarum. pag: 122.
Cap: 22. De prima Missa Neomystæ. pag: 129.
Cap: 23. De Ritu Jubilæum sive Sacerdotij sive Professionis celebrandi. pag: 132.
Cap: 24. De Benedictione & Aspersione Aquæ Benedictæ. pag: 142.
Cap: 25. De Usu Superpellicei pag: 145.
Cap: 26. De Thurificatione. pag: 146.
Cap: 27. De Pace danda. pag: 152.
Cap. 28. De Ritu administrandi Sacramentum Pœnitentiæ. pag: 153.
Cap: 29. De probatioribus formulis Absolutionum. pag: 157.
Cap: 30. De modo scribendi Romam pro dispensatione casuum ad Sacram Pœnitentiariam pertinentium. pag: 165.
Cap: 31. De Communione distribuenda. pag: 168.
Cap. 32. De De Ritu recipiendi Episcopum & Imperatorem, & quomodo coram illis Missa legenda. pag: 176.
Cap: 33. De De Receptione Generalis Ministri. pag: 181.

Cap:

Digitized by Google

Caput 34. *De Missis Votivis. pag: 184.*

Cap: 35. *De Missit Defunctorum. pag: 187.*

Cap: 36. *De Missis Feriarum & Vigiliarum. pag: 190.*

Cap: 37. *De defectibus contra Rubricas in Missa generaliter committi solitis. pag: 193.*

Cap: 38. *De Defectibus in ipsa celebratione Missæ committi solitis. pag: 200.*

Cap: 39. *De Officio Divino persolvendo. pag: 213.*

Cap: 40. *De Ritu celebrandi Festa duplicia primæ & secundæ Classis. pag: 218.*

Cap: 41. *De Ritu administrandi sacrum Viaticum Fratribus infirmis. pag: 221.*

Cap: 42. *De Ritu administrandi Sacramentum extremæ Unctionis. pag: 228.*

Cap: 43. *De Ritu assistendi morsbundis & Agonizantibus. pag: 244.*

Cap: 44. *De Sepultura & Exequijs Defuncti Fratris. pag: 275.*

Cap: 45. *De Anniversario Defunctorum Fratrũ, & Cõmemoratione omniũ Fidelium defunctorum pag. 283.*

Cap: 46. *De Ritu benedicendi res sacras. pag: 294.*

Cap: 47. *De Ritu exorcisandi nubes ad expellendas & fugandas tempestates, pag: 315.*

Digitized by Google

RITUALIS P. P. CAPUCINORUM: per Bohemiam, Moraviam, & Silesiam.

PARS I.

CAPUT I.

De Tempore Adventûs.

TEmpus adventuale â S. Petro ut ait *Gavantus p. 4. tit. 1. n. 3.* institutum, Superioribus localibus maximè cordi esse debet; ut á suis subditis singulari cum pietate celebretur: ac propterea pridie Adventûs Fratres suavi quadam admonitione ad hoc tempus sanctum fructuosè peragendum incitabunt, & sequentia pro eorundem directione promulgabunt.

II. Per totum tempus adventuale â Dominica prima Adventûs, usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusivè, singulis diebus horâ sextâ celebratur *Rorate* seu Missa votiva de B. V. in quarum prima & ultima (quas, nisi sit impeditus, celebrat Superior) datur Incensum, & accenduntur in Altari sex candelæ. Intermediæ verò fiunt absque incenso, cum quatuor tantùm candelarum accensione, attamen omnes cum *Gloria* & *Credo*, & cum commemoratione Dominicæ vel Festi & Feriæ: exceptis quatuor temporibus & Vigiliâ occurrente: exceptâ pariter octavâ Conceptionis B. V. Immaculatæ; quo tempore omittitur ejusdem commemoratio. Et in præfatione dicitur, *Et te in veneratione*: tametsi sit infra octavam Conceptionis B. V.

Digitized by Google

III. Hocce Adventûs tempore, Fratres mediâ sextâ excitentur, & ad primum Excitatoris ictum pulsetur â sacristano prolixum signum ad *Rorate*: Fratres verò actutum è strato se proripiant, lotique tempestivè ad Chorum se conferant. Interim tertio quadrante pulsetur â sacristano alterum signum aliquantò brevius, cum viginti ictibus. Sextâ demum sonante, vel paulò citius, ad nutum Superioris, pro tertio signo dentur cum campana ictus viginti.

IV. In Majori Altari pro excitanda & augenda fidelium devotione, repræsentetur Mysterium Annuntiationis B. V. factæ per Archangelum Gabrielem. Et in sacristia loco separato singulis diebus parentur mundiora paramenta, & calix pretiosior pro Sacerdote *Rorate* celebraturo. Itidem januâ Ecclesiæ tempestivè ante primum signum reseratâ, accendatur una ex febo candela ante rastellum, ut ad Ecclesiam venientes inde sibi lumen mutuare queant.

V. Celebrationi *Rorate* seu Missæ votivæ de B. V. præmittatur cantus germanicus: cujus initium: Ave Maria klare/ &c. qui statim post finem tertij signi â Fratribus retro Altare congregatis, ad fidelium ædificationem religiosè & devotè canitur; & ad evitandas dissonantias, deputetur à Superiore unus Præcentor qui nec nimis altè, nec nimis demissè incipiat; ut reliqui eodem tono prosequi possint.

Sacerdos verò *Rorate* celebraturus ad principium cantûs ad Sacristiam se conferat, & à Ministro (qui tempore Communionis Clericus, aliàs verò Laicus, & quidem Janitor est) sacris paramentis indutus, ad stropham: Ich muß nun auff die strassen/ &c. Altare accedat, & non nisi finito cantu Sacrum incipiat. Post Elevationem, vel si Fratres communicent, post communionem, canitur altera cantilena, quæ incipit: Ave Maria/ Gegrüst seystu von mir/ &c. ad cujus penultimam stropham pulsetur à sacristano signum ad *Primam*.

VI. Sacerdos *Rorate* celebrans, etiamsi sit die Dominica, Vigiliâ,

Digitized by Google

giliâ, aut feriâ, etiam quatuor temporum, ad finem Missæ nullum aliud dicit Evangelium, præterquam S. Joannis.

Fratres per totum tempus Adventuale, sub *Rorate* communicent, & quidem ter in septimana, videlicet: die Dominica, die Mercurii, & die Veneris aut Sabbati, prout ratio, & imminens festivitas Superiori svaserit. *Ita Constitutiones ordinis.*

VII. Tempore Adventûs quâvis feriâ secundâ dicitur officium Defunctorum, & Missa Conventualis pro Defunctis: nisi impedita sit dies, festo novem lectionum. Et tametsi omnes feriæ secundæ impedirentur, non transfertur hoc officium in aliam diem; sed eo anno omittitur: sicut etiam omittitur in Vigilia Nativitatis Domini, in feriam secundam incidente. *Vinitor p. 6. tit. 1. N. 8. Rituale ord. lib. 2. c. 13.*

VIII. Quando in Dominica Adventûs occurrit dies octava, verbi gratia Conceptionis B. V. Immaculatæ, vel alterius Sancti; Sabbato antecedente dicuntur Vesperæ integræ de Sabbato, cum commemoratione tantùm de die Octava; si tamen illâ die celebraretur festum semiduplex, fiet tantùm â capitulo de Dominica, & deinde commemoratio diei octavæ, & postea festi semiduplicis. Nec sequenti die Dominica ad Primam & Completorium dicuntur preces: & adhibetur color violaceus in Altari & Missa. Et hæc etiam servari debere in alijs Dominicis Privilegiatis; *decîdit Sacra Rituum Congregatio.* Quod si Dominica ipsa occurrat cum sequenti festo duplici, adhuc commemoratio octavæ debet fieri post commemorationem Dominicæ. Non autem si concurrat cum semiduplici: quia tunc Vesperæ erunt de Dominica, cum commemoratione diei octavæ, & deinde festi semiduplicis: *Gavantus sect. 3. Cap. 8. n. 14.*

IX. Licet Vigiliæ S. Andreæ & S. Thomæ cadentes in ferias Adventûs, nihil habeant in officio, nec quidem commemorationem: Missa tamen Conventualis, si non sit dicenda de festo, est de Vigilia, cum commemoratione feriæ.

Quod si sit de festo, ut contingere solet in Vigilia S. Andreæ,

Digitized by Google

quandoquidem apud nos duæ Missæ leguntur, una de festo, altera de Vigilia, sine utrorúmque commemoratione. In Missa de festo S. Saturnini Martyris: nisi festo S. Andreæ in feriam secundam incidente Vigilia celebraretur in Sabbato: quo casu commemoratio S. Saturnini Martyris fiet in Dominica. In Missis privatis verò, commemoratio feriæ fit ante commemorationem Vigiliæ. Nec legitur Evangelium homiliæ in fine, quia nec est lectum in Officio. *Ita Gavantus p. 4. tit. 13. N. 2.*

X. A die 17. Decembris inclusivè non potest ampliùs fieri Officium de S. Patre Francisco, S. Clara, aut Immaculata Conceptione; bene verò de alio festo novem lectionum occurrente, aut etiam translato. De Venerabili Sacramento verò & S. Antonio, nec in Adventu, nec in Quadragesima, nec in Vigiliis fit Officium; *Ità decrevit Sacra Rituum Congregatio. 24. Febr. 1680.*

CAPUT SECUNDUM.

De Vigilia Nativitatis Domini.

VIgilia Nativitatis Domini, solemniori quodam ritu ab Ecclesia solet celebrari, ut illustrior sequentis diei solemnitas prænuncietur. Qua de causa Superior loci, pridie hujus Sacræ Vigiliæ, omnes officiales pro paterna sua solicitudine commonebit, ut laboribus manualibus, tam in Sacristia, quàm in Refectorio, & Culina, tempestivè ad finem perductis, animi culturæ se se impendere, & pro tanta solemnitate præparare adlaborent, quo unigenitus Dei Filius in eorum cordibus piâ contemplatione queat renasci. Et quidem;

II. Sacristanus solicitè curare debet, ut Altaria, præsertim Majus, pro hac solemnitate solitò decentius ornetur: Mappæ, tam superiores, quàm inferiores in Altaribus mutentur.

Linteamina omnia, tam Altarium cultui dicata, quàm Ecclesiæ & Sacerdotum ministerio deservientia, munda sint ac nitida. Calices, Patenæ, Lampades, Candelabra, Thuribulum, Navicula ex-

Digitized by Google

la expoliantur: Thus pro thurificatione particulatim inciſum, diſponatur. Eccleſiæ parietes, Pavimentum, Chorus, Sacriſtia, Oratoria, Capſulæ pro ſputo &c. emundentur, ut omnia tam celebris diei ſolemnitatem commendent. *Ritual. ordin. Lib 2. cap. 4.* Præſepe ſimplex & devotum, pietati fidelium ædificandæ, non verò paſcendæ, oculorum curioſitati, idoneum erigatur, ad imitationem S. P. N. Franciſci, â quo hæc ſacra in Eccleſia Dei devotio ſuam traxit originem: *Chronic. ord. 1. p. c. 72.*

III. Matutinum in hac ſacra Vigilia dicitur abſque officio B. V. & â Laudibus celebratur ſub ritu duplici ſecundùm Rubricas Breviarij; quæ, præſertim quando hæc Vigilia cadit in Dominicam, tam ab Hebdomadario, quàm Acolythis ſedulò perlegantur, ne contingant errores: ad quos præcavendos, antiquâ Provinciæ noſtræ conſvetudine receptum eſt, ut juvenes Clerici pridie rationem officij Divini in ſequentem diem ordinandi, Superiori accuratè exponant: quod vel maximè illis diebus fieri debet, quibus ſe offerunt aliquæ difficultates aut ritus ſolemniores.

IV. In Prima huius Vigiliæ ſolet Martyrologium ſolemniter decantari: quod ut decenter fiat, id muneris alicui cantûs experto, â Superiore proinde imponatur: atque ut Fratres omnes, etiam Laici, legitimè non impediti, audito ſigno, ſinè mora ad Chorum confluentes interſint, admoneantur. Ad finem pſalmi *Retribue*, dentur cum campana viginti ictus, quibus auditis Fratres, â Choro abſentes, confeſtim ad Chorum properent; Et Cantor, qui, ſi poſſibile, ſit Sacerdos, ſuperpellicio mundo, & ſtolâ violacei coloris indutus, inter duos Acolythos faces accenſas gerentes, quæ in eum finem â Sacriſtano præparentur, illud cum debitis pauſis, & competenti tono, in novo Martyrologio præſcripto, decantet. Porro omnes Fratres in competenti loco in ordine ſtantes interſint, piâ cum attentione annuntiationem dominicæ Nativitatis excipientes: quando autem ventum fuerit ad verba: *In Bethlehem Judæ &c.* omnes, præter Cantorem, genua ſua flectunt, úſque ad verba: *Natívitas Domini noſtri*

J E-

Digitized by Google

JESU Christi secundùm carnem : inclusivè cujus rationem exponit Gavantus; quia humiliato Deo úsque ad terram, etiam decet nos, quàm maximè humiliari (*Rituale ord. cap. 5. Vinit. p. 6. tit. 2. n. 2. Gavant. sect. 3. c. 3. n. 7. in Rub. Breviarij*). Deinde omnes surgunt, & Cantor legendo quod reliquum est Martyrologij, prosequatur more solito, reliqui verò sedeant in sedilibus.

V. Hodiè non dicitur alia Missa solemnis, nisi Conventualis de Vigilia: in qua Sacerdos utitur colore violaceo, sicut in cæteris Missis privatis. Quod si hæc Vigilia cadat in diem dominicam, Missa post Tertiam celebratur, factâ priùs aquæ benedictæ aspersione. Post Graduale additur *Alleluja*: dicitur *Credo*, & fit commemoratio Dominicæ; cuius tamen Evangelium in fine non legitur: quia in Sabbato lectum fuit. *Ità Gavant. p. 4. tit. 3. n. 1. Vinit. citato loco n. 3. Rub. Missalis.*

VI. Finito Completorio post salutationem Angelicam, tria signa longiuscula pulsentur, pro indicio futuræ solemnitatis: quod & fieri debet pridiano vespere omnium festorum, Primæ & Secundæ Classis; quæ in foro celebrantur: sicut & in festis præcipuis nostri ordinis. Horâ quintâ dentur ictus ad Collationem: ad cujus finem Superior promulget, quæ pro sequentis sacræ noctis, & diei ritibus, & ceremoniis ritè peragendis necessaria videbuntur: dispertitis inter Clericos, Acolythos, & Sacerdotes officiis: ut quisque impositum sibi munus ritè & devotè exercere valeat. *Ritual. ord.*

VII. Sub vesperum Sacristanus in Altaribus collocet vasa munda, vitrea pro ablutione digitorum Sacerdotis, suis intecta pallis; præparet stolas albas pro lecturis Homilias; sex faces pro facigeris, aliáque pro sequentis sacræ Noctis & diei solemnitate necessaria.

CA-

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De Sacratissima Nocte & Die Nativitatis Domini.

SAnctissima Nox & Dies Nativitatis Domini Nostri JESU Christi, maximis undique referta Mysterijs, maiori solemnitate sunt peragenda: DEUS quippe magis puro corde & animi pietate, quàm rerum magnificentiâ delectatur. *Clement. Exivi.*

II. Hac sacratissimâ Nocte, Fratres pro more recepto excitentur mediâ undecimâ, consveto Cantu, qui incipit: Ein grosse freud verkünd ich euch. ad imitationem Angelorum Pastoribus Nativitatem Domini annuntiantium: quo audito, Fratres protinus è strato surgant, & sese canentibus associantes per dormitorium, & ad præsepe Domini cum devotione procedant; quibusdam Cantilenis ibidem decantatis, ad Chorum revertantur. Sacristanus verò tempestiviùs januam Ecclesiæ aperiat, ad præsepe Domini candelas accendat, & quàm primùm fratrum cantum inaudiverit, primum prolixum signum cum campana pulset ad Matutinum; alterum tertio quadrante ad undecimam, post quod accenduntur sex candelæ in maiori Altari. Tertium signum pulsetur horâ undecimâ ad nutum Superioris, qui dein inchoët Matutinum, quod graviùs ac morosiùs solitò decantari debet.

III. Pro Sacro hoc Matutino, ubi copia Clericorum est, seligantur illi, qui præstant voce & pronuntiatione. Lectionum Responsoria semper bini decantent. Ad finem tertij nocturni, Superior in Sacristia induatur vestimentis Sacerdotalibus, præter planetam, & manipulum, tempúsque pro legenda tertia Homilia expectet. Interea finitis psalmis tertij Nocturni, accendantur ab Acolythis duæ faces, & ex duobus Sacerdotibus provectioris ætatis, â Superiore deputatis, junior impositâ sibi albâ stolâ, primum Evangelium cum sua Homilia tardè & distinctè legat:

Digitized by Google

legat: ad cuius finem accendantur â vicinis Clericis, vel in eorum defectu, â junioribus Sacerdotibus, duæ aliæ faces, & Vicarius vel senior Sacerdos cum stola ut prior; legat secundum Evangelium cum sua homilia. Accensis interea ultimis duabus facibus, duo facigeri sacristiam ingressi, Superiorem è Sacristia ad Legile euntem antecedant; qui tertiam Homiliam lecturus est, eóque benedictionem petente, Senior aut Vicarius, qui secundam Homiliam legit, benedictionem dicet, quæ propria est in Breviario. Finito tertio Evangelio cum sua homilia, Superior: *Te DEUM Laudamus*, intoner solemniter; & deinde orationem dicendam Vicario relinquens, ad Sacristiam regrediatur, reliqua sumat Paramenta & Calicem: tunc duobus Ministris superpellicio indutis sibi assistentibus, si commodè haberi possunt, sex facigeris in ordine expectantibus, cum iisdem post duodecimam Noctis auditam: *ità Vinit. p. 6. tit. 2. n. 8.* ad Altare procedat. Ubi ad *Gloria in Excelsis*, perventum fuerit, non tantùm major campana, sed etiam omnia alia Tintinnabula hâc sacra Nocte pulsari debent, úsque ad finem hymni; in signum lætitiæ, quòd hac Nocte hymnus ille fuerit ab Angelis compositus & decantatus. *Rit. ord.*

IV. Faciferi ordinariè sint sex, vel in defectu quatuor, pro Fratrum in familijs existentium numero, conflato ex Clericis & junioribus Sacerdotibus, qui Sacerdotem solemnia sacra Celebrantem ad Altare comitentur, ad Altare serviant stantes (excepto ad *Sanctus*) tempore incensi, æquales cum Sacerdote & Ministris Altari reverentias, & geniculationes facientes; ad initium Epistolæ, terni ex uno, & terni ex altero latere revertantur. Ad Evangelium duo ad cornu Evangelii, facie Sacerdotem respicientes, & Thuriferarium in medio habentes, inserviant: quo finito redeant. Ad *Sanctus* omnes sex egrediantur ex utróque latere, & factâ Altari Reverentiâ (quæ semper fieri debet quando flectunt, aut surgunt, in exitu aut reditu) maneant flectentes, úsque ad *Nobis quóque Peccatoribus.* Postea regressi, non exeant, nisi ad initium Evangelij S. Joannis. Finitâ Missâ revertentem ex Al-

tari

Digitized by Google

tari Sacerdotem, bini & bini antecedant ad Sacristiam, ubi in ordine stantes celebranti facient reverentiam, & faces extinguant sinè damno.

V. Expleto Noctis solemni Sacrificio, in quo nemini Sacra Communio dispensari debet. *Ex decreto Sac. Rit. Cong.* Fratribus in Choro congregatis, Vicarius, si absit Superior, inchoet Laudes: ad quarum finem non dicuntur Litaniæ Omnium Sanctorum, nec fit disciplina, tametsi cadat in diem flagellationi deputatam. *Ex Rit. Ord.* Omnibus in choro absolutis, Fratres omnes, nullo excepto, se conferant ad refectorium, ibique adventum Superioris præstolentur; qui Fratribus exhortatorium faciet sermonem de Sacratissimo Mysterio Nativitatis Domini: & ad imitationem Angelorum, dantium Gloriam Deo, & pacem annuntiantium hominibus bonæ voluntatis; stimulabit Fratres ad pacem & mutuam charitatem. Deinde invicem ex corde deprecentur offensiones & defectus, Superiore principium deprecationis faciente: cui succedant Seniores usque ad juniores & novissimos. *Juxta præscriptum ordinum General. & laudabilem Provinciæ nostræ consvetudinem.* Peractâ deprecatione, renovent Professionem Regulæ conformiter ordinationi Capituli Generalis: superiore, formulam Professionis membratim prælegente, Fratribus verò resumentibus. Demum Superior pro meliori suarum conscientiarum serenitate, det omnibus facultatem pro hac vice, cuilibet, attamen approbato, confitendi; & Fratres, quód reliquum est temporis, confessioni & meditationi tanti Mysterii impendant. Postremò pulsetur *Ave Maria.*

VI. Manè mediâ sextâ excitentur Fratres, & post medii quadrantis intervallum pulsetur *Prima.* *Ad retribue* detur Primum signum sinè ictibus pró Sacro Solemni in Aurora. Ad Martyrologium, secundum, cum viginti ictibus. Ad *Alma Redemptoris Mater*, fiant viginti ictus. Absolutâ primâ celebret Superior secundum Sacrum Solemne, cum incenso & faciferis sicut primum. Sub hoc Sacro Fratres Clerici, & Laici legitimè non impediti,

Digitized by Google

communicabunt. Ad finem ſecundæ Miſſæ Solemnis dicatur Tertia & Sexta. Ad principium *Tertiæ*, pulſetur primum ſignum, pro tertio Sacro Solemni. Ad principium *Sextæ*, viginti ictus dentur, & deinde celebretur tertia Miſſa Solemnis, eâdem ſolemnitate, quâ præcedentes. In omnibus tribus Miſſis datur Oſculum pacis; & ſi ſit dies Dominica, tertiæ Miſſæ præmittatur Aſperſio aquæ benedictæ. *Ità Vinitor Loco Citat.*

VII. In hoc Sacro Feſto, tres Miſſæ poſſunt â Sacerdote celebrari. *Ex Decreto Teleſphori Papæ*, propter ternam Chriſti Nativitatem: *æternam* ex Patre, *temporalem*, ex Matre, & *Spiritualem* in animabus fidelium. Si quis autem tantùm unam celebret, convenit, ut tertiam dicat; quia ipſius oratio convenit cum officio. *Ità Corſetti part. 2, c. 1, n. 2. Gavantus, Vinit.*

VIII. Licèt quidam aſſerant S. Rituum Congregationem: Anno 1641. prohibuiſſe, omnes tres Miſſas de Nocte dici: Nihilominus *P. Lohner p. 4. tit. 7. n. 4.* ait eſſe probabilem & ſecuram Sententiam, poſſe omnes tres privatas Miſſas poſt mediam Noctem dici, quam tenet ipſe *Gavant: p. 4. tit. 3. n. 6.* ſi cauſa rationalis ſubſit, qualis apud nos eſſe poteſt: neceſſitas concionandi, excipiendi Confeſſiones, vel magnus Sacerdotum, vel parvus Altarium numerus. Conſultius autem, & tutius facturus Superior, ſi primò circa quartam horam Sacra inchoari permittat.

IX. Quando tres Miſſæ ſucceſſivè celebrantur, in Prima & Secunda, non ſumitur purificatio, ſed purificatio digitorum fieri debet in aliquo vaſe mundo vitreo, aut alio Calice ſuper Altare collocato, & non in Calice celebrantis: non enim decet lavare manus ſuper Sacras ſpecies, quæ fortè in Calice adhæſerunt, nec Calix purificatorio extergendus eſt, niſi poſt Communionem tertiæ Miſſæ; non tamen omittendæ ſunt preces illæ, quæ aliàs in purificatione dici ſolent: *Quòd ore ſumpſimus:* & *Corpus tuum Domine.* Calix verò, poſtquàm ex Hoſtiario (quod ex ligno, vel lamina, cum Hoſtiis in quovis Altari adſit) Hoſtia ſuper patenam poſita eſt, ut initio Miſſæ adaptatus, & velo coopertus, ſemper maneat

Digitized by Google

ſuper

ſuper Corporali extenſo, uſq; ad ſumptionem purificationis in tertia Miſſa.

Et quamvis forte remanſerint aliquæ ſpecies in Calice, non tamen celebrans propterea debet genu flectere, quando tranſit ante Calicem. Nec in ſecunda & tertia Miſſa debet celebrans poſt oblationem Hoſtiæ extergere Calicem ante infuſionem vini, ob guttas Sacras Calici forte adhærentes. *Ità Vinit. L. cit. n. 19.* In tertia Miſſa ſumit Celebrans purificationem & ablutionem, quæ eſt in vaſe vitreo, ſibi â Miniſtrante infuſam: quanquam & hæc Communicantibus porrigi queat: tolerabilem nihilominus ait *P. Lohner Loc. cit.* eſſe praxim Germanorum, facientium purificationem digitorum in Calice, & deinde in vas vitreum, aut aliud effundentium, & purificatorio Calicem extergentium: quæ praxis rationibus nixa, ſaltem tunc ſervire poteſt, quando tres Miſſæ leguntur diſcontinuè, & interpolatè: attamen ſi hoc non fiat, debet Calix poſt primam & ſecundam Miſſam â Celebrante ad Sacriſtiam deportatus, ſemper locari ſuper Corporale: unde in Calicum armariolis pro hac Sacra die corporalia Calicibus ſubſterni debent.

X. Finitâ Cœnâ, vel collatione, ſi Natalis cadit in diem Veneris, Superior vel alius de ipſius mandato, incipit cantionem *de Nativitate Domini*, quam tota familia proſequitur: deinde ii, quibus libet, ſe ad præſepe conferant, cantibus more Angelorum Dei Nativitatem recolentes: quod etiam ſucceſſivis tribus diebus feſtis fieri poteſt.

CAPUT QVARTUM.

In Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.

SOlet in Eccleſia Catholica hac die vinum Sancti Joannis benedici; quod etiam ſervatur apud nos Capucinos. Fit hæc benedictio ab Hebdomadario, vel alio Sacerdote â Superiore deſignato in Sacriſtia, vel etiam Refectorio: ad quod â Præfecto

Digitized by Google

Cellarii vinum benedicendum in mundioribus cantharis defertur ad Menſulam ad id paratam: quo etiam feruntur vina ſæcularium pro benedictione tranſmiſſa.

Dicta Menſula mundâ lineâ mappâ inſternitur, deſuper ponitur Crucifixus cum binis ex latere candelabris candelas gerentibus; vaſculum aquæ benedictæ, cum aſpergillo, ſuperpellicium cum ſtola coloris albi: quo Sacerdos indutus, candelis accenſis, aſſiſtente ſibi Clerico, inchoat benedictionem ſequentem;

BENEDICTIO VINI.

In Feſto S. Ioannis Evangeliſtæ.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Initium S. Evangelii ſecundùm Joannem.

In Principio erat Verbum, &c.

PEr iſtos Sermones Sancti Evangelii, & per merita S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, quæſumus Omnipotens Deus, bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris hanc Creaturam vini: & præſta; ut omnes in te credentes de iſto potu bibentes à te protegantur & bene✝dicantur: & ſicut Beatus Joannes de Calice venenum bibens non eſt læſus: ita & iſti homines in Amore tuo & Sancti Joannis de potu iſto bibentes, ab omni ægritudine Corporis & Animæ abſolvantur. Per Chriſtum, &c.

Aña. Valdè honorandus eſt Beatus Joannes, qui ſupra pectus Domini in Cœna recubuit.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus.

Digitized by Google

℟. Et

℣. Et aquâ Sapientiæ salutaris potavit illum Dominus Deus noster. Oremus.

DEus qui Apostolo tuo Joanni specialis Amoris privilegio secreta Cœlestia pandere dignatus es, & eundem, in ultima Cœna super pectus tuum recumbentem, affluentiâ Evangelicæ veritatis de ejusdem sacratissimi pectoris tui fonte potasti; eidémque in Cruce pendens Matrem Virginem Virgini commendasti: te Domine supplici-ter deprecamur; ut hunc potum dexterâ tuæ Majestatis bene✝dicere & sancti✝ficare digneris; ut sit omnibus sumentibus sanitas animæ & corporis, & contra omnia adversa pericula stabile firmamentum: ut qui in tua pietate confidunt, intercedente beatissimo Apostolo tuo & Evangelista majoris privilegii effectum consequantur. Qui vivis & regnas. Oremus.

DOmine JEsu Christe, qui te vitem veram, & Sanctos Apostolos tuos palmites appellare voluisti, & de omnibus te diligentibus, vineam electam plantasti, & in Cana Galilææ vinum ex aqua fecisti: Bene✝dic hoc vinum, & ei virtutem tuæ Sancti✝ficationis infunde: ut quicúnque ob honorem & memoriam dilecti discipuli tui Joannis, cujus hodierna festivitate lætamur, ex eo sumpserint, morbis & venenis effugatis, sanitatem & salutem corporis & animæ consequantur. Qui vivis & regnas. Oremus.

DEUS qui humano generi panem in cibum, & vinum in potum procreasti; ut panis corpus confortaret, & vi-

Digitized by Google

& vinum cor hominis lætificaret. Quique Beato Joanni prædilecto discipulo tuo, tantam gratiam contulisti; ut non solum ab haustu veneni illæsus evaderet, sed etiam in tua virtute veneno prostratos â morte suscitaret: Benedic, & Sanctificа quæsumus hoc vinum, & præsta omnibus idipsum bibentibus: ut spiritualem cordis lætitiam, & vitam æternam consequi mereantur. Qui vivis,

Aspergatur aquâ benedictâ, & thurificetur.

CAPUT QUINTUM.

In Vigilia Epiphaniæ Domini, & ipso festo.

IN Vigilia Epiphaniæ Domini, benedicuntur, aurum, thus, myrrha, incensum, creta, aqua; fitque conspersio aquæ benedictæ processionaliter per totum Monasterium. Quod ut rite fiat, Superior necessaria tempestivè procurari faciat: & manè aquam mundioribus vasculis, in cubiculum propè januam Monasterii per Clericos, vel Laicum Janitorem comportari curabit in ea quantitate, quæ sit sufficiens necessitati Conventûs, & populi, eam perentis, devotioni. Sacristanus insternet Mensam in Cubiculo â Janitore præparatam, stropholo acu picto; in eâque ponet Crucifixum inter duas candelas; aspergillum cum aqua benedicta, Superpellicium cum stola violacei coloris, & aurum, thus, myrrham, incensum & cretam, in pelviculis, aut capsulis mundis. Post Vesperas primas Epiphaniæ Domini, Superior vel alius de ipsius mandato, se cum Clericis ad locum benedictionis conferet, indutusque Superpellicio & stola, stando inchoat benedictionem. Benedictio Aquæ cum sit efficacissima, potest per annum, si aqua defecerit, de novo benedici; sicut in Bavaria, Svevia, Tyroli, & Helvetia fieri assolet.

BE-

Digitized by Google

BENEDICTIO AQUÆ

In Vigilia Epiphaniæ Domini.

℟. Hodie Cœli aperti ſunt, & mare dulce factum eſt. Terra exultat, montes & colles lætantur. Quia â Joanne in Jordane Chriſtus baptizatus eſt.

℣. Quid eſt tibi mare quod fugiſti: & tu Jordanis quia converſus es retrorſum.

℟. Quia â Joanne in Jordane Chriſtus baptizatus eſt.

Finito Reſponſorio ante Alveum aquæ dicat Sacerdos.

Ant. Vox Domini ſuper aquas, Alleluja: Deus Majeſtatis intonuit, Alleluja. *Pſalm 28.*

AFferte Domino filii Dei: afferte Domino filtos arietũ. Afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus, adorate Dominum in atrio ſancto ejus.

Vox Domini ſuper aquas, Deus Majeſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, Vox Domini concutientis deſertum: & commovebit Dominus deſertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condenſa; & in templo ejus omnes dicent gloriam.

Digitized by Google

Do-

Dominus diluvium inhabitare facit: & ſedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace. Gloria Patri.

Reſumitur Añ. Vox Domini ſuper aquas.

Añ. In Eccleſiis benedicite Dominum, Alleluja: de fontibus Iſraël, Alleluja. *Pſalm. 67.*

EXurgat DEUS & diſſipentur inimici ejus: & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

Sicut deficit fumus deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.

Et juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, Pſalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi.

Exultate in conſpectu ejus: turbabuntur à facie ejus patris orphanorum, & judicis viduarum.

Deus in loco ſancto ſuo: Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.

Deus cùm egrederetis in conſpectu populi tui: cùm pertranſires in deſerto.

Terra mota eſt, etenim cœli diſtillaverunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Iſraël.

Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam.

Ani-

Digitized by Google

Animalia tua habitabunt in ea: parâsti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominꝰ dabit verbum Evangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domûs dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos?

Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster Deus salvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus, ex Basan convertam: convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

C. Vi-

Digitized by Google

Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus: in medio juvencularum tympanistriarum.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontib⁹ Israël, Ibi Benjamin adolescentulus: in mentis excessu.

Principes Juda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jerusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis congregatio taurorum in vaccis populorũ: ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia prævenient manus ejus Deo.

Regna terræ cantate Deo: psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli: ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo super Israël, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri.

Ant. In Ecclesiis benedicite Dominum. Alleluja. de fontibus Israël. Alleluja.

Ant. Ipse liberavit me, Alleluja; de laqueo venantium. Alleluja.

Psal-

Digitized by Google

Psalmus 90.

QUi habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu: & refugium meum Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obūbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.

Quoniā in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. C 2 Cla-

Digitized by Google

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri.

Ant. Ipse liberavit me, Allel. de laqueo venantiũ. Allel.

Deinde flexis genibus dicuntur Litaniæ.

KYrie eleison
Christe eleison
Kyrie eleison.
Christe audi nos
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus,
miserere nobis.
Fili Redemptor mũdi Deus,
miserere nobis.
Spiritus sancte Deus,
miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus,
miserere nobis.
Sancta Maria. ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix. ora
Sancta Virgo Virginum. ora
Sancte Michaël. ora
Sancte Gabriel, ora
Sancte Raphaël, ora
Omnes Sancti Angeli & Archangeli. orate pro
Omnes Sancti Beatorũ Spirituum Ordines. orate
Sancte Joannes Baptista. ora
Sancte Joseph. ora
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ. orate.
Sancte Petre, ora
Sancte Paule, ora
Sancte Joannes. ora
Sancte Marce. ora
Omnes Sancti Apostoli & Evangelistæ. orate
Sancte Stephane. ora
Sancte Laurenti. ora
Sancte Vincenti. ora
Sancte Theodore. ora
Omnes SS. Martyres. orate
Sancte Silvester. ora
Sancte Gregori. ora
Sancte Martine. ora
San-

Digitized by Google

Sancte Augustine. ora
Omnes Sancti Pontifices & Confessores: orate.
Sancte Benedicte, ora
Sancte Dominice, ora
Sancte Francisce, ora
Sancte Antoni, ora
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, orate
S. Maria Magdalena. ora
Sancta Agnes, ora
Sancta Agatha. ora
Sancta Ursula. ora
Omnes Sancti & Sanctæ Dei. Intercedite
Propitius esto,
Parce nobis Domine.
Propitius esto.
Exaudi nos Domine.
Ab omni malo.
Libera nos Domine.
Ab omni peccato. libera
A morte perpetua. libera
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ. libera
Per Adventum tuum. libera
Per Nativitatem tuã. libera
Per Baptismum & sanctum jejunium tuum. libera
Per Crucem & Passionem tuam, libera
Per mortem & sepulturam tuam. libera
Per sanctam resurrectionem tuam. libera,
Per admirabilem ascensionem tuam. libera
Per adventum Spiritûs Sancti paracliti, libera
In die Judicii, libera
Peccatores, te rog. audi nos,
Ut nobis parcas. te rog.
Ut nobis indulgeas. te rog.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare digneris. te rog.
Ut Dominum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta Religione conservare digneris. te rogamus audi nos.

Sacerdos surgens dicat:

Ut hanc aquam bene ✝ dicere digneris.

Digitized by Google

Ut hanc aquam bene ✝ dicere, & sancti ✝ ficare digner.
Ut hanc aquam bene ✝ dicere, sancti ✝ ficare, & conse ✝ crare digneris.

Genuflexus prosequitur:

Ut nosmetipsos in tuo S. servitio confortare, & conservare digneris. te rog.
Ut omnibus Benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas. te rog.
Ut fructꝰ terræ dare, & conservare digneris. te rog.
Ut omnibꝰ fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. te rog.
Ut nos exaudire digneris. Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis Dom.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: exaudi nos Dom.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.
Christe audi nos,
Christe exaudi nos,
Kyrie eleison. Christe eleisõ.
Kyrie eleison. Pater noster,
Secretõ. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos nos fac Domine Deus noster.
℟. Et congrega nos de nationibus.
℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo.
℟. Et gloriemur in laude tua.
℣. Benedictus Dominus Deus Israël à sæculo.
℟. Et usque in sæculum: fiat, fiat.

Surgens ter sufflat in aquam dicens:

EXsuffio inte omnis legio Satanæ, in nomine Patris, ✝ & Filii, ✝ & Spiritus Sancti, ✝ Amen.

Exorcismus aquæ.

EXorcizo te creatura aquæ, in nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lii, & Spi-

Digitized by Google

& Spiritus † Sancti; ne communis sis ulli spiritui immundo: sed dabis honorem Deo viventi atque regnanti: Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: & ubicunque aspersa fueris: omnis spiritus immundus ab eo loco recedat. Itemq; adjuro te creatura aquæ: in nomine Jesu Christi Nazareni, Filii Dei vivi, Regis & Judicis nostri; ut sis purgatio, & sanctificatio hominum: quos Deus ad suam sanctam gratiam vocare dignatus est. Te ergo invoco Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ut hanc aquam exorcizare, & bene † dicere pro tua pietate digneris; ut omnis immundus spiritus locum in ea ultra non habeat, vel potestatem: sed ubicunq; aspersa fuerit, Angelorum tuorum descendat exercitus. Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, Amen.

Lectio Libri Numeri.

IN diebus illis: convenerunt filii Israël adversus Moysen & Aaron: & versi in seditionem, dixerunt: date nobis aquas ut bibamus. Ingressus Moyses & Aaron, dimissa multitudine, ante Tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntq; ad Dominum atq; dixerunt: Domine Deus exaudi clamorem populi hujus, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum: & apparuit gloria Domini super eos.

Tractus. Ultimo festivitatis die dicebat Jesus: qui in me credunt, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Alleluja Alleluja. ℣. Vox Domini super aquas, Deus ma-

Digitized by Google

majestatis intonuit: Dominus super aquas multas. Allel. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia S. Evangelii secundùm Joannem.

IN illo tempore: In novissimo die magno festivitatis, stabat Jesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Alius Exorcismus aquæ.

EXorcizo te creatura aquæ, per Deum † vivum: per Deum † verum: per Deum † Sanctum: per Deum totius creatorem; ut te mundam exhibeas contra omnem morbum, atque insidias inimici; & diabolicas potestates. Ut ubicunque aspersa fueris; sit propitio Deo defensa domus ipsa. Et sicut defensæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum, per signum sanguinis agni; sic defendantur Domine domus famulorum, famularumq; tuarum, per aspersionem hujus aquæ. In nomine ipsius te exorcizo; qui verbo suo fontem te manare præcepit. Et in ipsius nomine te exorcizo; qui filios Israël per medium maris eduxit. In ipsius nomine te exorcizo; qui super te suis sanctis pedibus ambulavit. Et in ipsius, nomine te exorcizo, quem Joannes in te baptizavit: ut omnis spiritus erroris: & omnes phantasiæ dæmonum, per te aspersæ effugiant, & separentur de eodem loco. Per eundem Dominum nostrũ Jesum Christum Filium tuũ; qui venturꝰ est judicare vivos & mortuos, & sæculũ per ignem. ℟. Amen. Se-

Digitized by Google

Sequitur adhuc alius Exorciſmus aquæ.

EXorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei Pa✝tris omnipotentis; & in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut omnis immundus ſpiritus, vel incurſio Satanæ ſeparetur à te creatura aquæ. Proinde ergo efficiaris aqua exorcizata ad effugandum omne phantaſma inimici: & ipſum inimicum eradicare, & effugare valeas, in nomine Dei Pa✝tris omnipotentis: Qui cum eodem Filio ſuo, & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. *Oratio.*

BEnedic Domine hanc aquam benedictione cœleſti: & aſſiſtat ſuper eam virtus Spiritûs Sancti: ut ubicunq; aſperſa fuerit: longè recedat virtus inimicorum, umbra phantaſmatum, incurſio turbinum, percuſſio fulminum, læſio tonitruorum, calamitas tempeſtatum: omnis denique ſpiritus procellarum te ipſo benedicente, effugetur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. *Oratio ſuper ſalem.*

VIrtutis tuæ invictam fortitudinem deprecor, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſuper hunc ſalem: cui non minimam gratiam conferre dignatus es: ut ex illo poſſint univerſa condiri, quæ hominib⁹ ad eſcã per tuum Filium Dominum noſtrum procreari juſſiſti: per quem te Domine ſupplices exoramus: ut ſalem iſtum ſanctifi✝ficare, & bene✝dicere, & conſe✝crare pro tua pietate digneris: ut ex vultu divinæ Majeſtatis tuæ virtutem tuam contra omnes immundos ſpiritus poſſit acci-

Digitized by Google

pere. Expellat de tabernaculis famulorum, famularúmq; tuarum, quidquid poteſt peſtiferum eſſe: & exhibeat plenum ſalutis effectū. Deterreat præſtigia, phantaſmatáq; compeſcat, per ſignum ſanctæ Cru✝cis Filii tui Domini noſtri, & tutelam fideliſſimam deſiderantibus præſtet, per hoc tuum Domine Jeſu Chriſte ſigna-✝culum, quod nullius dolus, nullius pertinacia deſignavit. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Salis.

BEnedico te creatura ſalis, in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ Sancti: qui te ad tutelam humani generis procreavit: & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noſter; ut hæc creatura ſalis in nomine Sanctæ Trinitatis, efficiatur ſalutare Sacramentum: ſítque perfecta medicina in viſceribus fidelium tuorum. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Oratio ſuper ſalem.

INtuere Domine hanc creaturam ſalis, quam uſibus humani generis tribuiſti. Et petimus omnipotens æterne Deus: per ſignum Cru✝cis unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut ubicunq; aſperſa fuerit aqua, hoc ſale commixta: ſit efficax ad evacuandam omnem adverſariam poteſtatem inimici. Conſumat & arefaciat nihílq; ibi remaneat immundum, nihil peſtiferum: ſed ad invocationem nominis tui, ſit nobis mundum ac benedictum.

Digitized by Google

ctum. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Exorciſmus Salis.

EXorcizo te creatura ſalis, per Deum verũ, per Deum ſanctum, per Deum totius Creatorem: per eum, qui te per Eliſæum Prophetam, in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ: qui per Apoſtolum Paulum dicere dignatus eſt: ſit cor veſtrum ſale conditum. Ideóque efficere ſal ad exorcizandum, ad evacuandum, ad expellendum inimicum, omnémque virtutem & putredinem ejus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui venturus eſt judicare vivos & mortuos &c.

Oremus.

DOminus & Salvator noſter Jeſus, antequam ad cœlos aſcenderet, Apoſtolis ſũis mandavit, dicens: Habete in vobis ſalem, & pacem habete inter vos.

Hîc ponat ſalem in aquam, dicens:

HÆc commixtio ſalis & aquæ pariter fiat, in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ Sancti: & in virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Exorciſmus ſuper ſalem & aquam ſimul.

EXorcizo te creatura ſalis, & aquæ: in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritûs ✝ Sancti: Exorcizo te per Deum vivum. Exorcizo te per Crucifixum. Exorcizo te per Spiritum Sanctum. Per eum te exorcizo, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, dicens: Hæc di-

Digitized by Google

cit Dominus: ſanabitur aqua iſta, & non erit in ea mors, neque ſterilitas. Per ipſius nomen te adjuro: qui divinâ voce oris ſui Apoſtolis ſuis locutus eſt, dicens: Vos eſtis ſal terræ; & cor veſtrum ſit ſale conditum. Ut omnes, qui ex te ſumpſerint, ſint ſanctificati in animabus, & corporibus. Ut ubicunque aſperſa fueris: effuges inimicum, & præſtes omnibus remiſſionem peccatorum: expellas inſidias, & excludas omnes dæmonum tentationes. Tu autem Conditor & Reſtaurator omnium elementorum tuorum, qui hæc fluenta tuo nomine ſanctificata, ad purgationem locorum proficere juſſiſti, deprecor: ut nominis tui invocatâ Majeſtate, gratiam Spiritûs Sancti hæc aqua accipiat, valeátque ad expellendas diabolicas artes, per manus ſervorum tuorum aſperſa, & per ſanctificationem, quam tu Domine ſanctificando ſanctificas, & benedicendo benedicis: ut omnis immundus ſpiritus aſperſione hujus aquæ repulſus, & confuſus diſcedat: & omnis incurſus Satanæ, & omne phantaſma, omníſque immunditia, & putredo inimicorm longè recedat. Nec conſiſtendi, aut reſiſtendi habeat poteſtatem, nec in eodem loco ſtandi, aut commorandi, ſed victus & deſtructus abſcedat diabolus cum omni pompa ſua. Per virtutem, & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Exorciſmus ſuper aquam Sale conſperſam.

EXorcizo te creatura aquæ ſale conſperſa, per Deum † vi-

Digitized by Google

vivum, per Deum † verum, per Deum † totius Creatorem; qui te in principio ſeparavit ab arida, & in quatuor fluminibus dividere dignatus eſt; ut ubicunque portata, vel aſperſa fueris: effugetur & ſeparetur inimicus, & omnis putredo ejus: ut ipſa domus Deo ſit dicata, per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Alius Exorciſmus ſuper aquam.

TE autem creatura aquæ adjuro, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum ſanctum: per eum te adjuro, qui te in principio ſeparavit ab arida. Adjuro te per Deum vivum, qui te de fonte paradiſi manare fecit. (*Hic dividat aquam in quatuor partes*) & in quatuor fluminibus exire juſſit: & totam terram rigare præcepit. Adjuro te per eum, qui te in Chana Galilææ ſuâ potentiâ convertit in vinum; qui ſuper te ſuis ſanctis pedibus ambulavit: qui tibi nomen impoſuit Syloe. Adjuro te per eum, qui in te Naaman Syrum à ſua lepra, per manum Eliſæi Prophetæ mundavit. Aqua ſan†cta: Aqua bene-†dicta. Aqua (*Hic tangat aquam dicens*) lavans ſordes, & mundans peccata. Adjuro te, per DEUM vivum: ut te mundam exhibeas, nec aliquam phantaſiam in te retineas: ſed efficiaris exorcizata, ad effugandum inimicum, & omnes actus fulguris: ut ubicunque aſperſa fueris, ſive in domo, ſive in agro, ſive in vineis, ſive in ſeminatis campis, ſive in fructibus, ſive in angulis cubiculorum, ſive in navibus, ſive in puteis: vel ſi quis ex te guſtaverit,

Digitized by Google

verit, fias ei defenſio, & remedium ſanitatis. Ipſe quoque diabolus elongetur, & ſeparetur, quantum elongatum eſt cœlum à terra: lux à tenebris: veritas à mendacio: juſtitia ab injuſtitia: dulce ab amaro: tantum elongetur, & ſeparetur ille immundus ſpiritus ab habitationibus famulorum, famularumque DEI: per nomen Domini noſtri JESU Chriſti, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat,

Verſ. Per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.
Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.
Verſ. Surſum corda. *Reſp.* Habemus ad Dominum.
Verſ. Gratias agamus Domino DEO noſtro.
Reſp. Dignum & juſtum eſt.

VErè dignum & juſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere: Domine Deus cœli, & terræ: cujus virtuti ſubdita ſunt univerſa. Cujus verbo creata ſunt omnia. Supermitte, quæſumus, virtutem Spiritûs Sancti tui, ſuper hanc creaturam: ut fiat aqua ſanctificata, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Te igitur omnipotens Deus, altiſſima ſalus, & reſpector perpetuus, humiliter rogamus & petimus: ut nos exaudias, & miſerearis precibus noſtris: quatenus ubicunque hæc aqua aſperſa fuerit: fiat te jubente cauſa purificationis. Habeat quoque perpetuam gratiam ipſa domus, fidem rectam, ſpem certam, charitatem perfectam, gaudium verum, honorem perpetuum, ut omnes malevoli, & invidi Spiritus ab ea expellantur, & ſeparentur. Per Chriſtum Dominum noſtrũ. Ite.

Digitized by Google

ITerum te alloquor aqua, quæ lucis ſimilitudinem habes, tu ſub cœlo, tu ſuper cœlum, tu ſub terra, tu ſuper terrã. Super te invoco nomen ſanctum atque mirabile Dei omnipotentis, qui te ſuâ potentiâ convertit in vinum: ſuſpendit ſuper cœlos, congregavit in terra, miſcuit in mari. Qui te arcanis, & velocibus ventis pluere præcepit: & ad uſus hominum, & lavacrum dedit: & ſitientibus potum ſubminiſtravit. Super quam etiam Spiritus Domini non ſolùm ferebatur, ſed etiam fertur. Adjuro ergo te creatura aquæ per ſeptiformem Spiritum Dei vivi. Adjuro te per novem ordines Angelorum. Adjuro te per vocem tonitrui coruſcantis, tremendi, & cœleſtis Regis. Adjuro te per lignum myſterii, de quo aqua percuſſa, ſtatim dulcis facta eſt. Adjuro te per eum, qui omnia creavit, ne contemnas vocem humilitatis meæ: ſed expellas omnem umbram, omnes ſatellites adverſariorum, omnes machinationes diaboli, ſive ſpirituum immundorum, ſive damnatorum, ſive errantium, ſive ex invocatione magicæ artis: ſive præcantatorum argumenta: ſive draconum, & omnium volucrũ vel viperarum, quia imperat tibi Dominus Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi; quòd mox ùt aſperſa fueris in nomine Dei Sabaoth, ſive in hominibus, ſive in domibus, ſive in vineis, ſive in pecoribus, vel in quibuslibet animantibus, ſive in ſeminatis campis, ſive in qualicunque creatura univerſali, vel in quocunque loco aſperſa fueris: ſi ſuper infirmum, vel languentem, ſive in potum data fueris homini

Digitized by Google

mini in valetudine detento, aut maligni Spiritûs infestatione percusso: mox expellas, & excludas omne malignum: ut possit homo velociùs salvus fieri: per virtutem Domini nostri Jesu Christi: qui neque dici, neque scribi, neque computari potest: cui nomen est Deus. Tu autem Domine; qui per Angelum tuum fontem Agar ostendisti, & ex eo Ismaëlem sitientem potâsti. Qui pueri tui Abrahæ in Mesopotamia preces exaudîsti, & omnia desideria cordis ejus implêsti. Qui famulo tuo Moysi in deserto eremi petram percutere, & ex ea aquam producere, & populum rigare jussisti.

Ter dicatur sequens versus Crucem in aquam immergendo.

QVi aquam amaram immisso ligno dulcorâsti: benedicere & sanctificare digneris, hanc creaturam aquæ: In nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lii, & Spiritûs ✝ Sancti.

Deinde Sacerdos dicit:

Ut ubicunque aspersa fuerit in nomine tuo: omnes sævas inimici jaculationes expellat. Illud etiam rogamus, & petimus, Deus omnipotens: ut sicut ad domum Raguelis sanctum Angelum tuum Raphaëlem mittere dignatus es, ut Asmodæum dœmonem colligaret: simile quoque beneficium domibus nostris donare digneris: ut ubicunque hæc unda aspersa fuerit, nunquam malignus spiritus in eadem domo consistendi, vel commorandi habeat potestatem: sed confusus protinus, & destructus abscedat, per Christum Dominum nostrum: per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Do-

Digitized by Google

Dominationes, tremunt Potestates: cœli cœlorúmq; virtutes, ac beata Seraphim, sociâ exultatione concelebrant. Cum quibus & nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ. Hosanna in Excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in Excelsis.

Prosequitur Sacerdos.

EXorcizo te Spiritus immunde per Deum vivum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: ut omnes virtutes adversarii: omnes exercitus diaboli: omnes incursus, & omnia phantasmata inimici eradicentur, & effugiant ab hac creatura salis, & aquæ; ut sit sancta, & salutifera, & ignis ardens adversus omnes insidias eorum. Ut ubicunq; portata, vel aspersa fuerit hæc creatura salis, & aquæ, sit sanitas, sinceritas, & corporis medicina: & effugiat omnis infirmitas. Fulgura quoq; & grandines ab aspersione hujus aquæ separentur, effugiant & elongentur. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculũ per ignem. ℟. Amen. Oremus.

VEre Sanctus, verè benedictus, terribilis, metuendus, & adorandus es, Domine Deus noster, ab occultis nostris munda nos, & ab alienis parce servis tuis: ut cum fiducia valeamus dicere orationem illam regalem, quam Dominus & Salvator noster per Evangelium suum orare nos docuit, dicens: Pater noster, *clarâ voce.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera

Digitized by Google

Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris. Libera nos quæsumus Domine, famulos & famulas tuas, à gladio & fame, à tentatione diaboli, à percussione sæculi, & ab infirmitatibus malis. Per liberatorem & Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum vivit & regnat, Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Pater Domini nostri Jesu Christi: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob; exorcizante me istam creaturam salis & aquæ precor te, ut me exaudire digneris, in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, filii Dei vivi, regis & judicis nostri: ut sit purgatio & purificatio omnibus hominibus: atq; in eis, in quibus aspersa fuerit, habeat potestatem ad effugandos immundos, & phantasmaticos Spiritus: & omnem nefarium diabolum: atq; omnes figuras, & minas Satanæ. Concedatur etiam ei potestas ad exterminandum fulgura, & grandines, & omnes adversitates humanæ naturæ: ut non possit immundus Spiritus nocere his locis, in quibus aspersa fuerit: sed confusus & destructus abscedat: Per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit, & regnat.

ADjuro te creatura salis & aquæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Adjuro te in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui super te suis sanctis pedibus ambulavit. Adjuro te per eum, qui te de fonte paradisi produxit. Adjuro te per eum qui Apostolis suis præce-

pit

pit dicens: Ite baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Per ipsius nomen te adjuro; ut ubicunq; aspersa fueris, omne phantasma de domo ista, & omnis incursio diaboli eradicetur, & effugiat: per Deum ✝ vivum, per Deum ✝ verum, per Deum ✝ totius creatorem; ut neque hominibus, neque domiciliis, neque navibus, neque pecoribus, neque frugibus, neque arboribus noceas. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. Qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui ad salutem humani generis maxima quæq; sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris; & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benè ✝dictionis infunde: ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosq; pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum: ut quidquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda respersérit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat Spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invideat, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat: ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum Jesum Christum,

Digitized by Google

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ✠ Sancti, descendat super hanc creaturam salis & aquæ. ℟. Amen. V⁹. Dominus vobiscum, ℟. Et cum Spiritu tuo.

Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam, ℟. Gloria.

IN illo tempore, factum est cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato & orante, apertum est cœlum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Et vox de cœlo facta est; Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur Filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Matathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahat, qui fuit Mathatiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmodan, qui fuit Her, qui fuit Jesu, qui fuit Eliczer, qui fuit Joram, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melchi, qui fuit Menna, qui fuit Mathatiæ, qui fuit Natan, qui fuit David, qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan,

Digitized by Google

nan, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusalem, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Adæ, qui fuit Dei. Jesus autem plenus spiritu sancto regressus est à Jordane,

Hic Sacerdos aspergat aquam super se & populum, dicens:

Ant. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. *Psal.* Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Gloria.

Vers. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

Resp. Et salutare tuum da nobis.

Vers. Domine exaudi. *Vers.* Dominus vobiscum.

Oremus.

EXaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. *Demum dicitur Hymnus,* Te Deum laudamus, *&c. usq; ad finem.*

BENEDICTIO AURI, MYRRHÆ ET THURIS

In festo Epiphaniæ Domini.

Vers. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Resp. Qui fecit cœlum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. Oremus.

SUscipe sancte Pater, à me indigno famulo tuo, hæc munera, quæ in honore nominis tui sancti, & in titu-

Digitized by Google

lum omnipotentiæ tuæ Majestatis, humiliter tibi offero: ſicut ſuſcepiſti ſacrificium Abel juſti, & ſicut eadem munera à tribus Magis tibi quondam offerentibus ſuſcepiſti.

EXorcizo te creatura Auri, Myrrhæ, & Thuris, per Patrem ✝ omnipotentem, per Jeſum Chriſtum ✝ filium ejus unigenitum, per Spiritum ✝ ſanctum paraclitum, ut à te diſcedat omnis fraus, dolus, & nequitia diaboli, & ſis remedium ſalutare humano generi contra inſidias inimici. Ut quicunq; divino freti auxilio te in ſuis loculis, domibus, aut circa ſe habuerint, per virtutem & merita Domini, & Salvatoris noſtri, ac interceſſionem ejus ſanctiſſimæ Genitricis & Virginis Mariæ, ac eorum, qui hodie ſimilibus muneribus Chriſtum Dominum venerati ſunt, omniumq; Sanctorum, ab omnibus periculis animæ, & corporis liberentur, & bonis omnibus perfrui mereantur. Per eundem Chriſtum. ℟. Amen. Oremus.

DEus inviſibilis, & interminabilis, pietatem tuam per Sanctum & tremendum Filii tui nomen, ſupplices deprecamur: ut in hanc creaturam, Auri, Thuris, & Myrrhæ benedictionem ac operationem tuæ virtutis infundas; ut qui ea penes ſe habuerint, ab omni ægritudinis & læſionis incurſu tuti ſint, & omnes morbos corporis, & animæ effugiant: nullum dominetur eis periculum, & læti ac incolumes tibi in Eccleſia tua deſerviant: Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Poſtea aſpergantur aquâ benedictâ.

Et

Digitized by Google

ET Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ✝ Sancti, descendat super hanc creaturam Auri, Thuris, & Myrrhæ, & maneat semper. ℟. Amen.

BENEDICTIO INCENSI.

℣. Adjutorium nostrum. ℣. Domine exaudi.
℣. Dominus vobiscum. Oremus.

TUâ, quæsumus, omnipotens sempiterne Deus immensæ Majestatis dextrâ, hanc creaturam incensi benedicere, & sanctificare digneris; ut in virtute tui sancti nominis, ubicúnq; fumus ejus afflaverit, omnium immundorum spirituum phantasticos spiritus effugare, omnésque morbos redditâ sanitate expellere, átque tibi omnipotenti Deo odorem fragrantissimum perpetuâ svavitate redolere valeat. Per Christum Dominum.

Aspergatur.

BENEDICTIO CRETÆ.

℣. Adjutorium nostrum.
℣. Dominus vobiscum. Oremus.

BEnedic, Domine Deus creaturam istam cretæ, ut sit salutaris humano generi, & præsta, per invocationem sanctissimi nominis tui: ut quidquid cum ea in honorem tuum scriptum aut contactum fuerit, præservetur à potestate & introitu dæmonum. Et ubicúnq; ex ea in portis & ostiis nomina sanctorum trium Regum, Caspar, Melchioris, & Balthasaris scripta fuerint, per eorum merita

rita & intercessionem, cubicula ista sint bene✝dicta, & ab hoste maligno defensa. Per Christum Dominum.

Aspergatur Aquâ Benedictâ.

BENEDICTIO CONVENTUS.

IN Sacristia ponatur Crux inter duo candelabra, Aspergillum cum vasculo aquæ trium Regum, duæ faces, thuribulum cum prunis, & navicula incensi. Post Completorium Fratres omnes ad Sacristiam conveniant. Superior vel Vicarius indutus superpellicio & stolâ albi coloris, stans versâ facie ad crucem; inter thuriferarium superpellicio indutum, & alterum Clericum ferentem aquam benedictam, reliquisq; Fratribus retrostantibus dicit Psalmum.

Deus misereatur nostri, &c. *deinde dicit:*

Ant. Domum istam, Domine, protege, & Angeli tui sancti custodiant illam, & omnia adversa ab ea repellant.

℣. Domine dilexi decorem domus tuæ,
℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotum ministerio ad tibi serviendum uti dignaris: quæsumus immensam Clementiam tuam; ut quidquid visitaturi sumus, visites; & quidquid bene✝dicturi sumus, benedicas: sitq; ad nostrum humilitatis introitum, sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum.

Deinde

Digitized by Google

Deinde conſpergat Sacriſtiam & vicina loca aquâ benedictâ aſpergillo â Clerico ſubminiſtrato: Thuriferarius verò benedicto incenſo ſuffumiget.

Poſtea Senior Laicus ſumat Crucem è menſa, & duobus junioribus Laicis geſtantibus Candelabra cum candelis accenſis, ex utrôq; latere ſtipatus præcedat: deinde ſequantur reliqui Fratres Laici, Clerici & Sacerdotes: hos ſequatur Superior cum aſpergillo, ad cujus latus ſemper ſit Clericus, Vaſculum aquæ benedictæ, & Rituale hoc portans; Thuriferarius â tergo ſequatur, eadem loca, quæ Sacerdos aquâ benedictâ conſperſit, incenſando. Ultimò ſequuntur Inſcriptores cum facibus ardentibus, nomina initialia Trium Regum, cum intermediis crucibus, cretâ benedictâ in omnibus monaſterii januis effigiantes; quæ inſcriptio ut debitè fiat, manè Sacriſtanus anni prioris inſcriptionem, ſpongiâ, aquâ tinctâ abluat.

Proceſſio ducatur ex Choro per Dormitorium, Refectorium, Cellarium, Culinam & Clauſtrum, inter ſonoros cantus de Nativitate Domini, & feſto Trium Regum: Puer natus in Bethlehem. In dulci jubilo. Der Tag der iſt ſo freudenreich / *ab aliquo cantore â Superiore denominato, præcentos, ut alii Fratres concinere poſſint. Viſitantur autem & benedicuntur â Superiore omnes fratrum Cellæ, Infirmariæ, ſtantiæ, officinæ, &c. quæ benedictio religioſè peracta plurimùm valet ad omne genus dæmoniorum abigendum, maximè ſi ſequentes in diverſis locis precationes perſolvantur.*

Ut autem hæc proceſſio religioſè & devotè peragatur, caveant Fratres ab omni diſſolutione, garritione, & iis omnibus, quæ ordinem turbare, & actus pietatis impedire poſſunt. E contra verò religioſam gravitatem & modeſtiam ubiq; ſervantes: & Deum, â quo benedici cupiunt, præ oculis habentes, & alacriter concinentes, ordinatè procedant. Abſtineant etiam â refectione in Culina & Cellario, quæ interdum ex abuſu parari ſolet: quia hæc, proceſſionem, ad invocandum Deum pro benedictione Conventûs inſtitutam, convertit in diſordinem, & ſenſualitatis occaſionem. Officiales omnes ſtantias & cubicu-

Digitized by Google

la, sûæ curæ commissa, curent esse munda & aperta: ut omnibus locis sine obstaculo benedictio impertiri possit.

IN DORMITORIO.

Ańa. Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes: ut vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace.

℣. In pace in idipsum. ℟. Dormiam & requiescam,
℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus,

DOmine Deus, custodiens Israel, qui non dormis, néq dormitas; Bene✝dic, quæsumus hoc dormitorium famulorum tuorum, & eosdem in hoc loco post laborem requiescentes custodi ab illusionibus & phantasmatibus Satanæ; ut vigilantes in præceptis tuis meditentur, & dormientes, defensionis tuæ muniantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum, ℟. Amen.

IN INFIRMARIA.

Ańa. Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis; inclina Deus noster aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram,

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te,
℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatis tuæ Clementiam: ut sicut visitasti Tobiam, socrum Petri, puerúmq; Centurionis, ità has infirmarias dexterâ tuâ bene✝dicere, & misericorditer visitare di-

Digitized by Google

re digneris; ut famuli tui infirmi, in eis commorantes, corporis & animæ sanitatem percipiant, & morientes Angelorum tuorum custodiâ potegantur. Per Christum.

IN REFECTORIO.

Ant. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

V⁹. Edent pauperes & saturabuntur.

R'. Et laudabunt Dominum qui requirunt eum.

V⁹. Domine exaudi. V⁹. Dominus vobiscum.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui famulos tuos piissimâ bonitate tuâ enutris, & in hoc loco refectione corporali alimentas: quæsumus immensam bonitatem tuam; ut refectorium hoc bene ✝ dicere, famulisq; tuis concedere digneris, ut cibum & potum te benedicente cum gratiarum actione percipiant, & ad æternas delicias pervenire mereantur. Per Christum.

IN CELLARIO.

Ant. Ecce ego mitto vobis frumentum, & oleum, & vinum, & replebimini in eis, dicit Dominus; ideóq; exultate, & lætamini in Domino Deo vestro.

V⁹. Emitte Domine benedictionem tuam super cellaria ista. R'. Et super opera manuum tuarum.

V⁹. Domine exaudi. V⁹. Dominus vobiscum.

Oremus.

OMnipotẽs & misericors Deus, qui per Moysen famu-

Digitized by Google

lum tuum dixisti: Si audieris vocem Domini Dei tui, emittet Dominus benedictionem super cellaria tua: Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut huic cellæ vinariæ tua pietate adesse digneris, quæ cuncta adversa ab ea repellat, & abundantiam tuæ bene✝dictionis super cuncta, quæ in ea continentur, largiter infundat. Per Christ.

IN CULINA.

Añ. In loco pascuæ ibi me collocavit.
V⁹. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.
R'. Qui habitare facis unius moris in domo.
V⁹. Domine exaudi. V⁹. Dominus vobiscum.

Oremus.

DEus æterne, ante cujus aspectum assistunt Angeli, & cujus nutu reguntur universa: qui etiam necessariis humanæ fragilitatis, tua pietate consulere non desinis: te humiliter imploramus; ut habitaculum hujus officinæ illa bene✝dictione perfundas, quâ per manum Elisæi Prophetæ in Olla eremitica gustus amarissimos dulcorâsti, & semper hìc tuæ bene✝dictionis copiâ redundantes, laudes tibi referant servi tui; qui das escam omni Carni, & imples omne Animal benedictione, Salvator mundi, qui vivis & regnas in sæcula.

IN CLAUSTRO.

Añ. Congregavit nos in unum Christi amor, timeamus & amemus Christum Deum. Ubi Charitas & amor, Deus ibi est.

V⁹. Ec-

Digitized by Google

V⁹. Ecce quam bonum & quam jucundum.
℟. Habitare Fratres in unum.
V⁹. Domine exaudi. V⁹. Dominus vobiſcum.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui nos ſingulari prærogativa gratiæ tuæ, in hoc religioſo Clauſtro miſericorditer congregaſti: da nobis famulis tuis, per benedictionis hujus ſolemnis efficaciam, ità tibi in eodem laudabiliter deſervire; ut in fraternitatis amore ac perpetua pace convivamus, átq; tandem ad illam deſideratam patriam, in qua omnia tranquilla ac ſtabilia ſunt, te largiente, pervenire valeamus. Per Chriſtum Dominum.

AD PORTAM CONVENTUS.

Ant. Confortavit Dominus ſeras portarum tuarum, & benedixit filiis tuis in te.
V⁹. Hæc porta Domini. ℟. Juſti intrabunt in eam.
V⁹. Domine exaudi. V⁹. Dominus vobiſcum.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui in introitu portarum Jeruſalem valvas ſanctificâſti, dum ſplendore gemmarum duodecim, totidem Apoſtolorum nomina præſignâſti, & qui per organum Prophetícum dixiſti: Lauda Jeruſalem Dominum, quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, & benedixit filiis tuis in te: quæſumus clementiam tuã, ut ponas omnes fines domus iſtius pacem, & velociter currens interius ſermo tuus adipe frumenti ſatiet eos, & Spiritus ſanctus defendat illos; ut nunquam

Digitized by Google

nocere eis prævalcat inimicus; ſed omnes habitantes in domo iſta interius voce, corde & opere decantent, ſcientes, quia magnus Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & magna virtus ejus, & Sapientiæ ejus non eſt numerus. Qui cum Deo Patre, in unitate ejuſdem Spiritus ſancti, in Trinitate perfecta vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, R'. Amen.

Hic per portam Conventûs cantando exeuntes, intrant Eccleſiam: ubi cantu finito, ante Altare majus flexis genibus dicitur:

Alia. Qui habitat in adjutorio altiſſimi: in protectione Dei Cœli commorabitur. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

V⁹. Et ne nos inducas. R'. Sed libera.
V⁹. Memento Domine Congregationis tuæ.
R'. Quam poſſediſti ab initio.
V⁹. Domine exaudi. R'. Dominus vobiſcum.

Oremus.

DEus, qui in omni loco Dominationis tuæ totus aſſiſtis, totus operaris; exaudi quæſumus preces noſtras, & præſta; ut inviolabilis hujus Conventus permaneat bene✝dictio. Et beneficia tui muneris, univerſitas, quæ ſupplicat, accipere mereatur.

OMnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo: ut in nomine dilecti Filii tui, mereamur bonis operibus abundare Per eundem Chriſtum.

ET Benedictio Dei Omnipotentis Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiri-

Digitized by Google

Spiritus ✝ Sancti, descendat super nos, & Domum hanc, & maneat semper. R'. Amen.

Aspergantur Fratres aquâ benedictâ, & factâ Altari reverentiâ, cum silentio recedant.

CAPUT SEXTUM.

In Festo Purificationis B. V. Mariæ.

RItus hac die peragendus, situs est in candelarum benedictione, distributione, & Processione, instituta cum cereis accensis, ut veluti lucentes bonorum operum lampades obviam Christo eamus cum Virginibus; vel ut cum Simeone gestemus Christum in ulnis, quem cereus designat. *Ità Gavant. p. 4. tit. 14. n. 1.* Sacristanus Altare solitò decentiùs ornabit: Ad cornu Epistolæ parabit parvam mensulam intectam mundo linteo, vel tapete, in qua præcisa prius ellychniorum Superiori superfluitate, tot albæ candelæ reponantur, quot ad benedictionem & distributionem erunt necessariæ. In qua quóq; locetur vas aquæ benedictæ cum Aspergillo, navicula cum Thure: penes mensam in angulo prope ostiolum ponatur Crux in Processione adhibenda. In Sacristia præparentur paramenta violacea & alba, sicut etiam ipsum Altare vestiatur, antipendio violaceo, quod ante Missam ad finem Processionis dimoveatur; nisi Festum Purificationis caderet in Dominicam Septuagesimæ, vel Sexagesimæ, quo casu remaneat Color violaceus. *Ità Rituale Ord. Cap. 3. Vinit. p. 6. tit. 3. n. 3. Gavan. loc. cit. n. 3.*

II. Ad finem Sextæ datis ictibus, accendantur sex cerei Altaris: interea celebrans, qui sit Superior, stolâ violaceâ super albam & amictum indutus, præcedente Acolytho superpellicio induto, qui ministrat, sine calice cum libro, super cussinum violaceum reponendo, & ab Acolytho aperiendo, ad Altare procedat. Et si est dies Dominica, antequam Altare ascendat, aquæ asperſionem perficiat

Digitized by Google

ac more solito. Si verò non sit dies Dominica, factâ Altari in medio reverentiâ ascendat, & illud in medio osculetur. Deinde vadat ad cornu Epistolæ, ubi aliquantulum conversus ad candelas incipit benedictionem, prout in Missali, clarâ voce, tono tamen Capucinico intonans junctis manibus: (*omnes enim orationes extra Missam, dicuntur manibus junctis*) *Dominus vobiscum* &c. Et cum dicit, *Oremus*, vel profert nomen *JESU*, vertit se ad crucem junctis manibus, & sese inclinans. Quando autem formar signum crucis super candelas, sinistram ponit super Altare. Fratres verò in Choro stent, capite derecto, ad nomen Jesu, versus Altare se inclinantes, & respondentes celebranti dum opus est. *Rituel. Ord. loc. cit. Vinit. loc. cit. n. 7. Gavan. p. 4. tit. 14. n. 2.*

III. Ad principium quintæ Orationis Acolythus ministrans factâ Altari reverentiâ, accipit Thuribulum prunis provisum, de manu secundi Acolythi, & vadit ad cornu Epistolæ: ubi assumptâ naviculâ cum Thure, finem Orationis exspectat. Quibus finitis celebrans imponit & benedicit Thus in thuribulo, prout fit in Missa: & porrecto sibi cum osculo manûs aspergillo, ter aquâ benedictâ candelas conspergit, in medio videlicet: â dextris, & â sinistris, dicens secretò: *Asperges me Domine*: finè psalmo, quo post osculum manûs reddito, sumit thuribulum eodem modo, & candelas incensat, eo more, quo eas conspersit, & thuribulum Ministro reddit. *Vinit. loc. cit. n 9. Gavan. loc. cit. n. 4.*

IV. Completâ incensatione, Sacerdos retrahit se ad medium Altaris, ibiq; se ad populum verteus, exspectat, donec Vicarius, vel eo absente Senior, in suo habitu absq; stola adveniens, & factâ in medio Altari reverentiâ, supremum gradum Altaris ascendens, porrectam sibi ab Acolytho finè osculo candelam, cæteris pulchriorem, & majorem, tradit celebranti: cum osculo candelæ, non tamen manus celebrantis, quam ipse recipit cum osculo, porrigentis manu non osculatâ; eámq; custodiendam tradit Acolytho Ministranti. Deinde celebrans digniori in suppedaneo Altaris flectenti candelam porrigit; qui eam accipit cum duplici osculo,

Digitized by Google

lo, videlicet, candelæ & manûs celebrantis. Sequuntur postea reliqui Fratres singulatim è Choro, manibus junctis, non tamen nudis pedibus â cornu Evangelii egredientes. Quibus omnibus in secundo Altaris gradu genuflexis, distribuuntur candelæ; qui prius candelam, deinde manum celebrantis osculantur, atque ut expeditè fiat distributio, Acolythus adjuvante Sacristano, candelas accendit, easque cum earum osculo tradit celebranti distribuenti. *Ità Vinit. Gavant. loc. cit. & p. 4. tit. 6. & 7.*

Dum inchoatur candelarum distributio, inchoëtur quóque in Choro Antiphona: *Lumen ad revelationem gentium.* Cum cantico: *Nunc dimittis*; ità tamen, ut post unum quemque versum cantici, *Nunc dimittis* Antiphona repetatur: & ubi protraheretur distributio, poterit Antiphona cum cantico repeti; Versus tamen, *Gloria Patri*, tantùm semel, in fine totius distributionis dicatur. *Ità Rit. ord. Vinit. loc. cit.*

V. Candelarum distributione peracta, celebrans manus lavat, Acolytho pelviculam & manutergium præparante, & aquam affundente.

Interea cantetur in Choro Antiphona, *Exurge*: Quâ finitâ Sacerdos stans in cornu Epistolæ, & ad altare conversus, cantet cum solita vocis inflexione: *Oremus. Flectamus genua.* Omnibus, & Acolytho & Fratribus in Choro genuflectentibus, ipse tamen non genuflectit, & Acolythus, omnium primò surgens subdit: *Levate*, quo audito omnes in Choro surgant, & celebrans prosequatur orationem. In Dominicis tamen & ante Septuagesimam non dicitur, *Flectamus genua*, nec *Levate*: sed statim Sacerdos post Oremus, dicit orationem, *Rit. ord. Vinitor.*

VI. Post orationem celebrans accedit ad medium Altaris, ubi Acolytho cum thuribulo & navicula ante celebrantem genuflectente, ipse ad eum conversus, benedicit, & imponit Thus in thuribulum, & candelam benedictam â Sacristano, vel secundo Acolytho cum Rituali porrectam, accipit. Interea qui in Choro sunt, cum candelis accensis ante Altare conveniunt, & Senior Laicus cru-

Digitized by Google

crucem proceſſionalem accipit, quem duo juniores Laici, aſſumptis ex Altari candelabris, cum candelis accenſis ex útroque latere comitantur: deinde ordinatur Proceſſio. Præcedit Thuriferarius Superpellicio indutus, in utrúmque latus fluctuatim fumigans; deinde ſequitur Crux, media inter deferentes candelabra, cum accenſis candelis. Sequuntur bini & bini, debitâ diſtantiâ, graviter & modeſtè candelas accenſas gerentes in manibus, dextri in dextra, & ſiniſtri in ſiniſtra; alterâ verò manu tenente Rituale, vel Regulam cum Antiphonis, & Reſponſoriis. Ultimò gradiatur Sacerdos, qui è Suppedaneo Altaris ad planum deſcendens, in dextra candelam, ſiniſtra Rituale geſtans, factâ prius Altari reverentiâ, ſe ad populum vertit, & clarè tono conſueto incipit: *Procedamus in pace:* Fratres reſpondent: *In nomine Chriſti, Amen:* ſtatimque inchoat Antiphonam: *Adorna thalamum.* Quæ Antiphonæ â Choro continuantur, debitis cum pauſis, & ſolita vocum ſimul incipientium, & ſimul deſinentium uniformitate. Proceſſio per medium Eccleſiæ incedens, fores ipſius egreſſa, ad triginta vel quadraginta paſſus, ubi fieri poteſt, brevique circulo deſcripto regrediatur; & ſi ſit longior, poſſunt Antiphonæ repeti; vel etiam ſi brevior, earum aliqua omitti; ità ut Eccleſiam intrante, inchoëtur Reſponſorium: *Obtulerunt. Ut in hoc Rituali.*

ANTIPHONÆ IN PROCESSIONE CANTANDÆ.

ADorna thalamum tuum Sion, * & ſuſcipe Regem Chriſtum; * amplectere Mariam, * quæ eſt cæleſtis porta; * Ipſa enim portat Regem gloriæ novi luminis; * ſubſiſtit Virgo, * adducens manibus Filium ante luciferum genitum: * quem accipiens Simeon in ulnas ſuas, * prædicavit populis * Dominum eum eſſe vitæ & mortis, * & Salvatorem mundi.

Alia

Digitized by Google

Alia Antiphona.

REsponsum accepit Simeon â Spiritu Sancto,* non visurum se mortem,* nisi videret Christum Domini. * Et cum inducerent puerum in templum,* accepit eum in ulnas suas,* & benedixit DEUM, & dixit:* Nunc dimittis servum tuum Domine in pace. * Cum inducerent puerum JESUM Parentes ejus,* ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo,* ipse accepit eum in ulnas suas.

Ingrediendo Ecclesiam cantatur.

OBtulerunt pro eo Domino, par turturum,* aut duos pullos columbarum:* sicut scriptum est in lege Domini. * Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ,* secundum legem Moysi,* tulerunt JESUM in Jerusalem,* ut sisterent eum Domino. Sicut scriptum est in lege Domini.* Gloria Patri, & Filio: & Spiritui Sancto.* Sicut scriptum est in lege Domini.

Hîc ex altari removetur color violaceus, & celebrans depositis in Sacristia violaceis, accipit paramenta alba cum calice: atque cum Acolytho egressus celebrat Sacrum de B. V. cum incenso.

VII. Si festum Purificationis cadat in Dominicam Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ; præviâ aspersione aquæ benedictæ, fit tantùm benedictio, distributio candelarum, & Processio. Missa autem sinè incenso fiet de Dominica Septuagesimæ: Nisi Ecclesia sit B. V. dicata sub titulo Purificationis: quo casu solùm ex Decreto Innocentij X. Missa Conventualis debet fieri de B. V. Unde si Ecclesia sit præcisè B. V. dicata, & non sit titulus, licèt olim Missa solemnis, quæ apud nos Conventualis est, ex Decreto Clementis VI. poterat dici de B. V. modò non ampliùs licet;

Digitized by Google

ſed debet dici de Dominica. Sacerdos qui candelas benedicit, debet etiam celebrare Miſſam ex Decreto S. R. C. 26. Febr. 1628.

VIII. Quando Miſſa fit de Dominica, tunc candelæ à Fratribus ſub illa non tenentur accenſæ. Quando verò fit de B. V. ad finem proceſſionis extinctæ, ad Evangelium accenduntur, & tenentur in manibus: quæ finito Evangelio iterum extinguuntur, & ad *Sanctus* reaccenduntur; & ſic accenſæ tenentur in manibus, uſq; poſt Communionem celebrantis. *Vinit. loc. cit. n. 19 Rit. Ord. Rub. Miſſalis.*

IX. Quando Miſſa dicitur de Dominica Septuageſimæ &c. ſecunda oratio non debet dici, *A Cunctis*, & tertia ad libitum: ſed ſecunda erit, *Deus qui ſalutis*: & tertia pro Eccleſia, vel Papa: eò quòd adhuc celebretur partus Purificationis, donec feſtum Purificationis fuerit celebratum. In officio tamen, translato feſto Purificationis non transfertur Antiphona, *Alma Redemptoris Mater*: ſed ſecunda Februarij ad Completorium, dicitur Antiphona: *Ave Regina Cœlorum. Ità Dec: Sac: Con: II. Januarij. Anno 1681.*

X. De Candelis benedictis, ſerventur aliquæ, tum pro Fratribus moribundis, tum ad alios pios uſus; quibus infra, ad deſignationem quòd ſint benedictæ, circumvolvatur chartula, cui annus benedictionis inſcribitur.

CAPUT SEPTIMUM.

In Feſto Sancti Blaſij E. & M.

DEvotio erga benedictionem S. Blaſij, cujus originem refert noſter P. Bonagratia, in quibuſdam Provinciæ noſtræ locis, adeò fidelium cordibus inſedit ut tametſi, ex Conſtitutionibus Capituli Generalis & Provincialis, ſæpius ejuſdem publica in Eccleſia celebratio fuerit interdicta, & tantùm pro Fratribus intra Sacriſtiam conceſſa: nihilominus prævalente fidelium deſiderio, publicus hujus benedictionis ritus, contra morbos gutturis ſæpius expertum remedium, permittitur in locis, ubi ſine offendiculo negari non poteſt; ità tamen, ut Fratribus intra Sacriſtiam hæc benedictio conferatur.

Igitur

Digitized by Google

Igitur Sacerdos superpellicio & stolâ rubrâ indutus, in Sacristia, vel post Missam in altari depositâ casulâ & manipulo, duos cereos, qui possunt etiam ex pridie benedictis assumi (quia una benedictio non impedit alteram) modo sequenti benedicit.

BENEDICTIO CEREORUM.

In honorem S. Blasij, contra mala gutturis,

Ex Sacerdotale Romano antiquo, impresso Venetijs, 1585. Cap. 13.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi.
℣. Dominus vobiscum. Oremus.

OMnipotens & mitissime DEUS, qui omnium mundi rerum diversitates solo verbo creasti: & ad hominum reformationem illud idem Verbum, per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti; qui magnus & immensus, terribilis atque laudabilis es, & faciens mirabilia: pro cujus fidei confessione gloriosus Martyr & Pontifex Blasius diversa tormentorum genera non pavescens, martyrij palmam est adeptus: quique eidem inter cæteras gratias, hanc prærogativam contulisti, ut quoscunque gutturis morbos curaret: Majestatem tuam suppliciter exoramus; ut non intuitu nostri reatus, sed ejus placatus meritis & precibus, hanc creaturam ceræ benedicere, & sanctificare tua venerabili pietate digneris. Tuam gratiam infundendo: ut omnes, quorum Colla per eam ex bona fide tacta fuerint, à quocúnque gutturis morbo, ipsius passionis meritis, liberentur, & in Ecclesia tua Sancta, sani & hilares tibi gratiarum referant actiones: & laudent

Digitized by Google

dent nomen tuum glorioſum, quod eſt benedictum in ſæcula. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum.

Aſpergat aquâ benedictâ dicens.

BEnedicantur & ſanctificentur cerei iſti, in nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus †Sancti. Amen.

Sacerdos daturus fratribus, vel populo benedictionem, ſiniſtrâ manu tenet cereos binos accenſos, decuſſatim per modum crucis, ſub mento cujusvis ante ſe genuflexi, dicens:

Per merita & interceſſionem Sancti Blaſij Epiſcopi & Martyris, liberet & præſervet te Dominus â malo gutturis; in nomine Patris, & Fi†lij, & Spiritus Sancti. Amen.

Et hæc ultima verba dicens, format manu dextrâ Signum Crucis ſuper caput genuflexi. Attendat autem ne ſæcularium crines incendat, aut defluentibus ceræ guttis veſtes commaculet. Si poſt ſacrum ſæcularibus benedicit, deponat Caſulam, & manipulum ſuper altare: ſi autem extra ſacrum benedicit, ſit indutus ſuperpelliceo & ſtolâ rubra.

CAPUT OCTAVUM.

De principio, & fine Quadrageſimæ Benedictæ.

JEjunium Benedictæ, â noſtro Seraphico Patre ad imitationem ſanctiſſimi illius Jejunij â Chriſto Redemptore noſtro peracti, ſuſceptum; & cum promiſſione cæleſtis benedictionis & gratiæ, commendatum in Regula Filijs ſuis, Provincia noſtra hactenus ſtudioſè coluit; tametſi liberum ſit, (niſi quis neceſſitate, vel infirmitate coactus, idque cum expreſſo ſcitu & conſenſu Miniſtri Provincialis) illud declinare. Unde cum teſte P. Bonagratiâ, verbo, *Benedicere*, hæc benedictio apud nos ſemper maximi habita ſit, & credita præſens ac efficaciſſimum remedium impetrandi â Deo gratiam, per quam Ordo in ſua puritate & regulari obſervantia conſervetur, & hujus ſtudioſos cultores felix ſequatur obitus.

Digitized by Google

obitus. Econtra compertum ſit, ex illius tranſgreſſione temeraria, clanculum perpetrata, Fratres ruiſſe in grave Spiritus diſpendium, imò etiam ſalutis nocumentum. Idcirco Superior in ejuſdem principio, ſuos ſubditos efficaci & emphatica exhortatione excitabit; ut ſe hujus ſanctæ benedictionis reddant participes; et exinde certam ſuam vocationem facientes, gratiam perſeverantiæ finalis, & felicem vitæ ſuæ obitum in hac ſacra Religione conſequantur.

II. Hoc ſacrum jejunium, â primis noſtris Patribus æquali cum cæteris jejunijs rigore fuit obſervatum; nihil præter panem in moderata quantitate, admittentibus, niſi fructus, vel partem caſei. A quo rigore, ſub prætextu libertatis, longè recedunt illi ſuperiores, qui amplas in hoc jejunio collationes admittunt.

III. Ad finem hujus jejunij, Superior conſolationis verbis Fratres demulcens, de hujus Sanctæ Benedictionis effectu, promiſſione Seraphici Patris, & theſauro ſpirituali ſibi ex inde comparato, verba faciat: & demum benedictionem ſequenti modo ipſis impertiatur.

BENEDICTIO IN FINE QUADRAGESIMÆ DANDA FRATRIBUS.

Die 15. Februarij, finitâ collatione & gratiarum actione, ponitur Crux ſuper ſuperiorem menſam, inter duo candelabra cum candelis accenſis; & Superior indutus ſtolâ violacei coloris genuflexus ante eam, dicit cum fratribus genuflexis Pſalmum.

Deus miſereatur noſtri, &c. *poſt quem dicit:*

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon, &c. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℣. Memento Congregationis tuæ.

℟. Quam poſſediſti ab initio.

℣. Salvum fac populum tuum Domine. ℟. Et benedic.

℣. Benedicat & cuſtodiat nos omnipotens & miſericor-

Dominus. ℟. Amen. ℣. Do-

Digitized by Google

℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus. *dicitur flexis genibus.*

DEvotionem familiæ tuæ, Domine Jesu Christe, benignus intende, ut quæ se ad tui imitationem, per abstinentiam quadraginta dierum maceravit in corpore, per tuam gratiam & benedictionem reficiatur in mente. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Hic Superior surgens, & ad Fratres conversus dicit:

℣. Adjutorium nostrum. ℣. Domine exaudi.
℣. Dominus vobiscum. Oremus.

DOminus noster Jesus Christus, qui per jejunium quadraginta dierum, jejunium nostrum sanctificavit, nobisque exemplum jejunandi præbuit: ille nos, juxta promissionem seraphici Patris nostri Francisci, cælesti benedictione suâ benedicat, & sancti ✝ ficet; atque ad hoc sacrum jejunium, quoad vixerimus, peragendum, prosequendumque animum, virésque concedat: qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Sanctissimæ Trinitatis, Beatissimæ Virginis Mariæ, & Seraphici Patris nostri Francisci, descendat supernos, & maneat semper. Amen.

Demum aspergat omnes Fratres aquâ benedictâ, transiens per totum Refectorium.

CAPUT NONUM.

In feria quarta Cinerum.

HÆc feria quarta, initium quidem pœnitentiæ & jejunij est in Ecclesia Dei: nihilominus, sicut plerumque aliarum, ita & no-

Digitized by Google

noſtræ Religionis ſacra conſuetudo eſt, hoc jejunium â feria ſecunda incipere: proculdubio eo fine introducta, ut dum filij hujus ſæculi delicijs ſuis inebriantur, Deumq; offendunt; Religioſi intra Clauſtra ſua degentes, præoccupato jejunio plorent ante Deum: *Parce Domine, parce populo tuo.* Quod tamen duorum dierum jejunium non eſt ſub præcepto; quanquam intra Conventum ſemper obſervetur: nec de facili extra Conventum ejuſdem tranſgreſſio ſit admittenda: quin imò pius ſemper uſus fuit, tempore Bachanaliorum, ob bonum exemplum, nullos fratres ex Conventu dimittere.

2. Pridie huius feriæ Sacriſtanus, & reliqui Clerici, aptè & decenter omnia altaria cooperiant operimentis lineis, violaceo colore tinctis; quorum quodvis aliquod Dominicæ paſſionis myſterium repræſentet. Item Sacriſtanus ramos Palmarum aut aliarum arborum, præcedenti anno benedictos colligat, & ſuper operculo cupreo vel ferreo, in cineres concrematos, & deinde ſubtiliſſimè cribratos, in vas mundum teſtaceum aridos ponat. Omnia altaria violaceo colore veſtiantur, & tabernaculum totum ſit coopertum: nec ullæ aliæ imagines, aut flores picti, aut ficti, ad altare reponantur; quæ lætitiam ſapiunt, non luctum.

3. Manè ad cornu Epiſtolæ, paret Sacriſtanus vaſculum aquæ benedictæ, cum aſpergillo, naviculam cum thure, & thuribulum in loco conſueto: vas verò cinerum ponat medium inter cornu Epiſtolæ, & cuſſinum violaceum, quo liber reponend⁹ eſt, & raſtellum aperiat. Ad finem tertiæ, accenſis qua nor in maiori altari candelis, Superior humerali, albâ & ſtolâ violacei coloris, ſinè caſula & manipulo, indutus, cum Acolytho in Superpellicio, librum deferente, altare accedat; & factâ altari reverentiâ aſcendens per gradus illud oſculatur. Inde vadit ad cornu Epiſtolæ, libróq; aperto, legit *Antiph. Exaudi*, quam interea chorus cantat: quâ abſolutâ ad cineres converſus ſtans, nec ſe vertens ad populum, dicit clarè: *Oremus*, & orationes manibus junctis: inter quas, dum dex-

Digitized by Google

trâ benedicit cineres, manum ſiniſtram ponit ſuper altare. *Vinit. p. 6. tit. 4. n. 4. Gavant. Rubr. Miſſ.*

IV. Finitâ quartâ oratione, ſurgit Acolythus, vadit pro thuribulo, porrigit thus celebranti, aſpergillum & thuribulum cum oſculis: celebrans imponit thus, & aſpergit dicendo: *Aſperges:* & incenſat cineres.

V. Factâ incenſatione celebrans accedit ad medium altaris, ibiq; ſe vertit ad populum. Tum dignior ſinè ſtola accedit ad altare, & factâ in plano reverentiâ, aſcendit ad ſecundum gradum; ubi ſtans, porrecto ſibi ab Acolytho vaſe cinerum, ſummitate pollicis & indicis apprehendens, imponit cineres ſuper caput inclinatum ipſius celebrantis, ſtantis manibus junctis, verſus populum, & non genuflexi, atq; imponendo cineres in forma crucis dicit: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Acolythus recepto vaſe, illud porrigit celebranti; qui deinde digniori, ſuper ſuppedaneum genuflexo, imponit eodem modo cineres: poſtea Acolytho, ac cæteris è choro junctis ante pectus manibus, non tamen nudis pedibus ſigillatim prodeuntibus. Ultimò utriúſque ſexûs ſæcularibus, fœminis tamen non ſuper velum, ſed ſuper crines, ſi commodè fieri poteſt. *Ita Vinit. Lohn. Gavant. loco. cit.*

VI. Interea dum diſtribuuntur cineres, cantatur in Choro, *Immutemur habitu:* & tam diu repetitur, donec diſtributio finiatur: ubi tamen populus eſſet nimis frequens, poterit alius deſignari Sacerdos, qui ſuperpellicio & ſtolâ violacei coloris indutus hoc officium peragat. Cineribus diſtributis, celebrans in angulo Epiſtolæ lavat manus, miniſtro aquam in pelviculam affundente, & manutergium parante. Poſtea ſtans in eodem cornu Epiſtolæ verſus altare dicit junctis manibus orationem, *Concede.* Sub qua Acolythus caſulam & manipulũ è ſacriſtia adferens, ſacerdoti in planum deſcendenti porrigat, eo modo, quo fit diebus Dominicis poſt aſperſionem aquæ benedictæ.

VII. Hodie non poteſt dici Miſſa votiva, niſi in cauſa gravi aut de *Requiem*, niſi præſente corpore. Hodie incipit Præfatio quadra-

ge-

Digitized by Google

geſimalis: *Qui corporali*: uſq; ad Dominicam Paſſionis excluſivè, quæ etiam dicitur in feſtis & votivis Sacris non habentibus propriam Præfationem: non tamen in Miſſis de *Requiem*.

CAPUT DECIMUM.

De tempore Quadrageſimali.

A Sabbato, Dominicam quadrageſimæ antecedente, inclusivè uſq; ad Paſcha (: diebus Dominicis exceptis) Veſperæ celebrantur ante meridiem poſt Sextam & Nonam; & quidem, ſi officium totum ſit de feria, pulſetur ad Sextam & Nonam horâ decimâ. Si officium præcedens de feria, ſequens ſit de feſto, pulſetur pro Sexta & Nona primo quadrante ad undecimam. Si utrúmq; de feſto, ſive ſit duplex, ſive ſemiduplex, pulſetur mediâ undecimâ. Die autem feſto, quando Sexta voce media conjungitur Tertiæ: tres ictus pro Nona dantur tertio quadrante ad undecimam.

II. Ad Veſperas ſub Nona, juxta officij qualitatem pulſatur hoc modo: Si veſperæ fiunt de duplici, primum ſignum pulſatur inchoatâ Nonâ, uſque ad medium primi pſalmi. Secundum ſignum pulſatur per ſecundum Pſalmum, uſque ad finem ejuſdem. Tertium ſignum pulſatur circa finem tertij pſalmi, uſque ad inchoationem Veſperarum.

III. Si Veſperæ fiant de ſemiduplici, & in Nona non dicatur Nona de B. Virgine, Primum ſignum pulſatur per totum ſecundum pſalmum: ſecundum verò, ſeu ultimum pulſatur circa finem tertii pſalmi.

IV. Si Sexta & Nona ſit de feria, & Veſperæ de duplici, tunc primum ſignum pulſatur ad initium ſecundi pſalmi fermè uſq; ad finem ejuſdem: ſecundum poſt ſecundum verſum tertii pſalmi, uſque ad finem illius: tertium per totum officium B. Virginis.

V. Si verò veſperæ ſint de ſemiduplici, tũc primũ ſignũ pulſabitur à principio tertii pſalmi Nonæ, uſq; ad finem ejuſdem: & ſecundũ ſub officio B. Virginis: idem fit quando duæ feriæ conveniunt.

Digitized by Google

Diebus festis, quando Nona dicitur media voce, tunc post datos ictus, statim pulsabitur primum signum, eóq; finito dicitur Nona. Secundum signum pulsabitur in medio primi psalmi, usq; ad medium secundi; Tertium, in medio tertii psalmi, úsque ad inchoationem Vesperarum.

6. Toto quadragesimali tempore, caveat Sacristanus â superfluo altarium ornatu: In ferijs totum Tabernaculum sit tectum, ut saltem ejus ostiolum visui exponatur; & ex parte scabella, velo tabernaculi operta sint, in infimo solùm stent sex candelabra: idem fiat in semiduplicibus. In Dominicis & duplicibus minoribus aut maioribus, Tabernaculum parumper patentius sit, poteritq; adhiberj Imago ex utróq; latere Dominicam passionem repræsentans: nulli autem flores picti, aut ficti ad altare reponantur. In Dominica *Lætare.* potest Altare festivius parari, adhibitis etiam floribus, imaginibus aut Reliquijs. Idem sentiendum de duplicibus Primæ & Secundæ Classis, aut solemnitatibus fori; quibus adhiberi possunt Reliquiaria, cum suppositione strophiolorum; velúmq; Tabernaculi magis expandi.

7. Per quadragesimam pro singulis ferijs secundis, non impeditis, dicatur officium defunctorum; & quidem Vesperæ persolvantur post Vesperas Dominicæ, dicto *Benedicamus Domino. Deo gratias.* Incipiat Hebdomadarius: *Placebo Domino.* Matutinum verò unius Nocturni post Completorium & Litanias B. Virginis, Item pro singulis ferijs quartis, non impeditis, dicuntur Psalmi Graduales, feriâ tertiâ post Completorium, & Litanias B: Virginis. Licet aliàs de more sit, juxta Rituale Romanum & ordinis, quod Officium defunctorum, & psalmi Graduales in Choro debeant persolvi â sedentibus, mos tamen in nostra provincia inolevit, quod Fratres etiam officium Defunctorum stando, ut aliàs persolvant; præterquam ad Lectiones: Psalmos verò Graduales flectendo; ad orationem tamen surgit Hebdomadarius.

VIII. Singulis ferijs sextis non impeditis, post Matutinum & Laudes officij divini, dicuntur â fratribus genuflexis Psalmi Pœnitenti-

Digitized by Google

nitentiales, cum Litanijs omnium ſanctorum, pro ut jacent, omiſſis Patronis ordinis, dicto *Benedicamus Domino, Deo gratias.* ſtatim incipit Hebdomadarius; *Ne reminiſcaris*: quæ Antiphona non duplicatur: & omittitur Antiphona, *Ave Regina cælorum.* Notent autem Fratres, Pſalmos Graduales eſſe velut gradus, quibus mens noſtra in Cœlum ſcandere debet, & Pſalmos Pœnitentiales, interiorem animj compunctionem comitem habere decens eſt: idcirco tardè, devotè & cum debitis pauſis perſolvi debent; ne alioquin Deum plus offendamus, quàm ejus gratiam & peccatorum condonationem impetremus.

IX. Licet non teneamur ad duas Miſſas legẽdas in feſtis duplicib. & ſemidup. in quadrageſima occurrentib⁹; attamẽ quantùm poſſibile eſt, duæ legantur: ſcilicet una de feſto, quæ erit Conventualis, & altera de feria poſt Nonam: quæ non eſt Conventualis, & poteſt legi ad intentionem. Et in hac non fit commemoratio de feſto: ſicut nec in illa de feſto fit commemoratio feriæ. Si verò occurrat Feſtum ſimplex, de eodem fit commemoratio in Miſſa de feſto, non autem in Miſſa de feria.

X. Per totam quadrageſimam, ter per Hebdomadam fit communio Fratrum: videlicet die Dominica, Mercurij & Veneris; niſi ratione incidentis feſti aliter ordinandum ſit. Deinde licet ex pia Provinciæ noſtræ conſuetudine ſingulis per annum diebus Veneris ante menſam fiat diſciplina: diebus tamen Veneris per Quadrageſimam, nemo, niſi infirmus, ſe eximat: qui dies etiam jejunantur in pane, & aqua, vel ſaltèm cereviſia: Senibus verò, vel debili ſtomacho laborantibus, pro charitate rogantibus, Superior juſculum, vel etiam ampliorem refectionem indulgere poterit. Eandem ſervabit diſcretionem erga P. Concionatorem, Quadrageſimalibus Concionibus occupatum.

II. Per Quadrageſimam non poſſunt fieri officia Corporis Chriſti, & de Sancto Antonio, nec de Sancto Bonaventura: benè verò de S: Patre, ſancta Clara, & Immaculata Conceptione; ex oraculo vivæ vocis Clementis X.

Digitized by Google

XII. Ante primas Veſperas Dominicæ Paſſionis, tegantur cruces velo, quod potiùs debet eſſe violaceum, quàm nigrum, & ſinè figura. Toto tempore Paſſionis in Miſſa de tempore non dicitur: *Gloria Patri* ad introitum, neque ad *Lavabo*: nec Pſalmus *Judica*: ad indicandam majorem Eccleſiæ triſtitiam; dicuntur ſolùm duæ orationes, & Præfatio de Cruce; uſque ad feriam quintam in Cœna Domini. Secus dicitur in Miſſis votivis de Paſſione & de Cruce. De quibus vide infrà titulum de Miſſis votivis.

CAPUT UNDECIMUM.

In Dominica Palmarum.

PAratâ menſulâ in cornu Epiſtolæ, reponantur in illa rami palmarum, vel aliarum arborum, in faſciculos colligati, pulchrioribus pro diſtributione Fratrum ſelectis: In parato ſit Crux proceſſionalis, vas aquæ benedictæ, cum aſpergillo, thuribulum cum navicula: altare ſit veſtitum colore violaceo, ſinè imaginibus, aut floribus; ſoláque duo reliquiaria ob incenſum ſuis ſuperpoſita ſtrophiolis, in ſecundo altaris ſcabello ponantur cum ſex candelabris.

II. Ad finem Tertiæ accenſis ſex in altari candelis, Sacerdos, qui debet eſſe Superior, humerali, albâ & ſtolâ violacei coloris, in modum crucis ante pectus veſtitus, cum Acolytho pariter induto ſuperpellicio, & librum deferente ad altare, cum calice procedat, & parato de more calice, apertóque libro in cornu Epiſtolæ, ad medium verſus factâ cruci reverentiâ, ad imum gradum deſcendat, & genuflexus porrecto ſibi ab Acolytho cum oſculo manûs aſpergillo, aſperſionem aquæ benedictæ more ſolito perficiat; quâ finitâ, aſcendat ad altare, quod oſculetur in medio; choro interea canente Antiphonam: *Hoſanna*: ipſe accedat ad cornu Epiſtolæ, & illàm legit ſubmiſsâ voce: ad cujus finem ſtans in eodem cornu Epiſtolæ junctis manibus versùs altare, & non versùs populum, dicit clarè: *Dominus vobiſcum*, & orationem; huic ſub-

Digitized by Google

ſubnectit Epiſtolam, voce quidem etiam clarâ, tono tamen à tono orationis paululùm humiliore, quam ſubſequitur chorus canens Reſponſorium: *Collegerunt.*

III. Sub cantu Reſponſorij, Sacerdos vadit ad medium altaris, ubi inclinatus junctis ante pectus manibus dicit: *Munda cor meum: Jube Domine benedicere*: &c. Acolythus verò defert Miſſale ad cornu Evangelij, & aſſumpto thuribulo cum navicula, vadit ad celebrantem, qui ad cornu Epiſtolæ reverſus imponit thus in thuribulum, & benedicit more ſolito: inde ad cornu Evangelii tranſiens (factâ priùs in medio cruci, capitis inclinatione, reverentiâ) dicit clarè: *Dominus vobiſcum. Sequentia*: choro ad omnia reſpondente. Et Evangelio ter incenſato, illicò canendo proſequitur ad finem, nam in hoc puncto vices Diaconi ſupplet, & poſtea ab Acolytho incenſatur. *Rit. Ord.*

IV. Terminato Evangelio, Acolythus refert librum ad cornu Epiſtolæ, quò etiam Sacerdos revertens dicit orationem & Præfationem clarâ voce, manibus junctis, prout in Miſſali. Choro canente deinde: *Sanctus*: ipſe illud tantùm demiſsè legit; ſubjungit poſtmodum orationes, quibus benedicens palmas ſiniſtram ponit ſuper altare, & tametſi non eſſent palmæ, aut olivæ, ſed alii arborum rami, propterea tamen orationem non mutat. Finitâ quintâ oratione, Acolythus porrigit naviculam celebranti, dicens: *Benedicite Pater Reverende.* Thure benedicto, & ſuper prunas poſito, porrigit ei aſpergillum, cum oſculis & reverentiis, ut ſuprà dictum eſt. Celebrans illas aſpergit in medio, à dextris & à ſiniſtris, dicendo ſubmiſsè: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*: eodémque modo incenſat; miniſtro utrumque, & aſpergillum & thuribulum, ſemper cum oſculo manûs recipiente. Celebrans deinde ſe ad medium retrahens, ibiq; ſe ad populum vertens, exſpectat donec Vicarius, vel eo abſente Senior in ſuo habitu abſque ſtola adveniens; & factâ in medio altaris reverentiâ, ad gradum altaris ſupremum aſcendens, porrectam ſibi ab Acolytho ſinè oſcu-

lo

Digitized by Google

lo palmam, cæteris pulchriorem & majorem tradit celebranti cum oſculo palmæ, non autem manus celebrantis. Quam ipſe recipit oſculans palmam, non tamen manum porrigentis: eámq; interea ponit ſuper altare à cornu Evangelij. Poſtea Celebrans ſtans ante altare versùs populum diſtribuit ramos, primùm digniori, à quo ipſe accepit, poſtea Sacerdotibus per ordinem: omnibus genuflectentibus, ac ramum & manum celebrantis oſculantibus. Inchoatâ diſtributione, inchoatur quóq; in Choro Antiphona, *Pueri Hebræorum.* & tam diu repetitur, donec diſtributio completa fuerit. Quod ſi multus adſit populus, nè diſtributio longiùs quàm par eſt protrahatur, Sacerdos alius à Superiore deputetur, qui ſuperpellicio & ſtolâ violacei coloris indutus, Laico ramos miniſtrante, illos populo ante cancellos flectenti diſtribuat, non tamen Laicus ipſe hoc officium peragat.

V. Ramis diſtributis celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ junctis manibus dicat: *Dominus vobiſcum*; deinde orationem: *Omnipotens:* quâ abſolutâ Acolytho miniſtrante naviculam, ponit incenſum in thuribulum ac more ſolito benedicit. Interea omnes qui in Choro ſunt cum ramis in manibus ad altare procedunt. ordinatur Proceſſio eo modo, prout dictum eſt in feſto Purificationis B: V: ſuperiore incipiente: *Procedamus in pace*: Choro reſpondente: *In nomine Chriſti, Amen.* Inchoat deinde Celebrans altâ & gravi voce Antiphonam: *Cùm appropinquaret*, &c. quam, ſicut & omnes alias ſequentes, vel aliquas, quouſque durat proceſſio, chorus devotè ac morosè, debitas interponendo pauſas, proſequitur.

ANTIPHONÆ IN PROCESSIONE

Dici Palmarum dicendæ.

CUm appropinquaret Dominus Hieroſolymam, * miſit duos ex Diſcipulis ſuis, dicens: * Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt: * & invenietis pullum Aſinæ alligatum, * ſuper quem nullus hominum ſedit: * ſolvite, & ad-

Digitized by Google

& adducite mihi.* Si quis vos interrogaverit,dicite: opus Domino eſt.* Solventes adduxerunt ad Jeſum: & impoſuerunt illi veſtimenta ſua,* & ſedit ſuper eum. * Alij expandebant veſtimenta ſua in via.*Alij ramos de arboribus ſternebant,* & qui ſequebantur clamabant:* Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Benedictum Regnum Patris noſtri David : * Hoſanna in excelſis,* miſerere nobis Fili David.

Alia Antiphona.

CUm audiſſet populus , quia Jeſus venit Jeroſolymam,* acceperunt ramos palmarum,* & exierunt ei obviam,* & clamabant pueri dicentes: * Hic eſt, qui venturus eſt in ſalutem populi:* Hic eſt ſalus noſtra & redemptio Iſraël. * Quantus eſt iſte, cui Throni & Dominationes occurrunt? * Noli timere filia Sion: * Ecce Rex tuus venit tibi,* ſedens ſuper pullum aſinæ: ſicut ſcriptum eſt. * Salve Rex, fabricator mundi, qui veniſti redimere nos.

Alia Antiphona.

ANte ſex dies ſolemnes Paſchæ,* quando venit Dominus in civitatem Jeruſalem,* occurrerunt ei pueri,* & in manibus portabant ramos Palmarum:* & clamabant voce magnâ dicentes:* Hoſanna in excelſis.* Benedictus qui veniſti in multitudine miſericordiæ tuæ:* Hoſanna in excelſis.

Alia Antiphona.

OCcurrunt turbæ cum floribus & palmis Redemptori obviam:* & victori triumphanti digna dant ob-

Digitized by Google

sequia: * Filium Dei ore gentes prædicant: * & in laudem Christi voces tonant per nubila: * Hosanna in excelsis.

Alia Antiphona.

CUm Angelis & pueris fideles inveniamur, * Triumphatori mortis clamantes: * Hosanna in excelsis.

Alia Antiphona.

TUrba multa, quæ convenerat ad diem festum, * clamabat Domino: * Benedictus qui venit in nomine Domini. * Hosanna in excelsis.

In reversione processionis crucem gestans in medio ante fores Ecclesiæ subsistit; reliqui verò ex utroque crucis latere Sacerdotem in medio, versùs crucem capite humerali tecto stantem incingunt. Interim duo cantores à Superiore constituti Ecclesiam ingrediuntur, & foribus clausis, versaque facie ad processionem incipiunt Vers. Gloria laus &c. *Sacerdos verò cum aliis extra Ecclesiam repetit eosdem Vers.* Gloria laus &c. *Deinde qui sunt intus prosequuntur ut infrà reliquos versus, & qui sunt extra, ad singulos versus respondent:* Gloria &c.

VERSUS IN REVERSIONE PROCESSIONIS CANTANDI.

GLoria, laus & honor * tibi sit Rex Christe Redemptor.
Cui puerile decus * prompsit Hosanna pium.

Chorus repetit:

GLoria, laus & honor, * tibi sit Rex Christe Redemptor.
Cui puerile decus * prompsit Hosanna pium.

Israël es tu Rex, * Davidis & inclyta proles.
Nomine qui in Domini, * Rex benedicte venis.

Chorus repetit: Gloria, laus &c.

Cætus in excelsis * te laudat cœlicus omnis.
Et mortalis homo, * cuncta creata simul.

Cho-

Digitized by Google

Chorus repetit: Gloria, laus &c.

Plebs Hebræa tibi * cum palmis obvia venit.
Cum prece, voto, hymnis, * adsumus ecce tibi.

Chorus repetit: Gloria, laus &c.

Hi tibi passuro * solvebant munia laudis:
Nos tibi regnanti * pangimus ecce melos.

Chorus repetit: Gloria, laus &c.

Hi placuere tibi, * placeat devotio nostra,
Rex pie, Rex clemens, * cui bona cuncta placent.

Chorus repetit Gloria, laus &c.

Versibus hisce finitis celebrans accipiet crucem à Crucifero, ejúsq; Hastili percutit Ecclesiæ fores semel in infima parte portæ, quâ statim apertâ Processio ingreditur Ecclesiam, cantando.

INgrediente Domino in sanctam Civitatem * Hebræorum pueri resurrectionem vitæ pronuntiantes, * cum ramis palmarum: * Hosanna clamabant in excelsis. * Cum audisset populus, * quod Jesus veniret Jerosolymam, * exierunt obviam ei. * cum ramis palmarum. Hosanna clamabant in excelsis.

Cùm hoc Resp. sit nimis breve, convenit ut repetatur.

VI. Completâ Processione celebrans ramum super altare ponens, lavat manus in cornu Epistolæ, accipit Manipulum & Casulam, à Sacristano, sibi in Cornu Evangelij paratam: & factâ in medio recollectione intentionis, & reverentiâ cruci, descendit ad imum gradum, & inchoat Missam solemnem, more solito incenset altare, præterquam, quando Passio inchoatur: tunc enim non debet benedicere incensum, néque incensare librum, quoúsque perveniat in Passione ad Evangelium: *Altera autem die:* tunc enim retrocedens ad latus Epistolæ, benedicat incensum, & imponat thus: in medio inclinatus, junctis ante pectus manibus

Digitized by Google

bus dicat: *Munda cor meum. Jube Domine* &c. & ad cornu Evangelij reversus ter librum incenset, more aliás consueto: demum Evangelium prosequatur. Ad Offertorium incenset oblata more solito: Detur pax, ac demum Missa absolvatur, ut in die solemni. *Ritual. ord: Vinitor.*

VII. Sub Passione non extinguuntur candelæ: eámque Sacerdos, neque seipsum, néque librum signando, sed tantum junctis manibus graviter, morosè ac devotè legit sub qua cuncti Fratres ramos palmarum in manib⁹ habeant; & cum celebrans ad ea verba pervenerit: *Emisit Spiritum*; ipse versùs librum, quod in praxi servatur; alij verò versùs altare per morulam unius circiter *Pater noster:* genuflectant, quâ amoris & compassivi affectus suspiria in corde suo elicere poterunt. Deinde surgente sacerdote, & alij surgant; ipse verò quod supereſt in Evangelio prosequatur. Finita Passione osculatur librum & dicit. *Per Evangelica dicta, deleantur nostra delicta.* Minister verò respondet: *Laus tibi Christe.* Et celebrans incensatur. In fine Missæ solemnis, debet legi Evangelium S. Joannis: in privatis autem, legitur Evangelium Palmarum. Quando dicitur in Epistola: *In nomine Jesu omne genu flectatur.* Debet Sacerdos vel utrúmque genu, quod vult Corsetti: vel saltem unum genu flectere, quod Patri Lohner commodiùs, & convenientiùs videtur: usque ad, *Infernorum*, inclusivè.

CAPUT DUODECIMUM.

In feria quarta, majoris Hebdomadæ.

AB hac die incipit Ecclesia triduanas mortis Christi Exequias in horis Canonicis celebrare; & ideo Matutinum & horas persolvimus sine principio & fine, ad significandum Christum mori, qui est Alpha, & Omega, principium & finis. Unde hoc triduo sacro non solùm profundâ animi consideratione ac pietate Domini Passionem & Mortem Fratres recolere debent; sed & Superior, omnibus quæ his diebus agenda sunt, diligenti studio præ-

Digitized by Google

prævisis, & Ministerijs tam in officio divino, quàm in Missa, alijsque sacris functionibus apud nos observari solitis, inter idoneos distributis, totus in id incumbat, ut omnes ritus & cœremoniæ decorè peragantur; & omnis confusio evitetur. Quamobrem consultum erit, tabellam officiorum indicém, vel in Sacristia, vel in Refectorio affigere: vel saltèm dispositionem à se factam promulgare vocaliter, & minùs informatos in ritibus instruere, ut ordinatè ad imposita munia sese parare possint.

II. Ad introitum Missæ hujus feriæ quartæ, dicitur quidem: *In nomine Jesu omne genu flectatur*: verùm Sacerdos non debet genu flectere: sicut nec genuflectitur in Choro, quando id dicitur ad Nonam.

III. Post Vesperas, ponat Sacristanus Candelabrum triangulare ligneum ad cornu Epistolæ, non in medio Altaris; in quo quindecim conformes cándelæ ceræ communis, seu flavæ affigantur pro Matutino tenebrarum. Altare sit solo velo & antipendio coloris violacei vestitum, habens sex candelabra, cum candelis æquè communis ceræ: emunderur & paretur corneum extinctorium, aliaque emunctoria pro candelis extinguendis. Adsint quoque bacilli mundi, pro faciendo ad finem Matutini fragore.

VI. Media quartâ pulsetur Completorium: ad Psalmum: *Qui habitat*: detur primum signum pro Matutino, alterum post tres ictus ad *Nunc dimittis*: Tertium ad finem Litaniarum. Interim accendantur candelæ à Sacristano tam in altari, quàm in Triangulo collocatæ: & primò quidem accendantur candelæ altaris, incipiendo, in cornu Evangelij ab altiori, quæ est prope tabernaculum; deinde secundam & tertiam, postea in Cornu Epistolæ eodem ut antea ordine. Inde fiat transitus ad Triangulum, in quo primò accendatur suprema, deinde omnes succesſivè usque ad infimam ex latere Evangelij; postea eodem à superiori ad inferiorem succesſivo ordine accendantur illæ, quæ sunt ex parte Epistolæ. *Vinitor p. 6. tit. 7. n. 4.*

V. Dato ultimo signo, & dictis secretò: *Pater noster*, *Ave*

 Digitized by Google *Maria*

Maria & Credo, factâ prius (quod commendat Gavantus) cruce; superior incipit Antiphonam: *Zelus Domus tuæ*: cum aliqua in fine vocis deflectione, ut sit signum distinctionis; quæ etiam in fine omnium Psalmorum, Lectionum secundi & tertij Nocturni; (nam Lectiones primi Nocturni, seu lamentiones consueto modulamine decantantur) Responsoriorum, versiculorum, imò etiam orationis: *Respice*: observatur. Reliqui verò ritus sub hoc matutino triduano servandi, indicantur in Rubricis Breviarij.

VI. Finito quovis psalmo, tam in Matutino, quàm in Laudibus, Senior Laicus, vel alius à Superiore constitutus, & instructus, extinguit unam Candelam ex illis in Triangulo positis, hoc tamen ordine: ut post finem primi Psalmi, extinguatur illa, quæ est infima, à latere Evangelij; post finem secundi, illa, quæ est infima à latere Epistolæ; & sic successivè alternatim ex utroque latere, post quemvis psalmum sursum versus extinguitur una. Quando pervenitur ad canticum *Benedictus* etiam extinguantur candelæ altaris, non tamen citius, donec in Choro cantetur versiculus: *Ut sine timore*: tum enim ad quemvis versiculum extinguitur una: & primò quidem extinguatur illa ex parte Evangelij quæ est à cruce remotior: post, secunda, & tertia. Deinde eodem ordine illæ, quæ sunt ex parte Epistolæ. Ad repetitam Antiphonam Cantici, accipitur cereus ardens ex cuspide triangulari, & absconditur retro altare ad, *Christus factus est obediens*: ut lumen non appareat. Facto demum in fine per morulam bacillis fragore, producitur candela & ostenditur omnibus: primò in Choro, deinde in Ecclesia existentibus: & statim cesset omnis fragor: ipse candelam extinctam reponat ad triangulum, reliqui verò omnes è Choro, audito à Superiore signo, cum silentio discedant. Et hæc observentur quoque duobus diebus sequentibus.

VII. Ad Mensam his tribus diebus, fit Benedictio & Gratiarum actio, prout notatur in Rubricis Breviarij, & Regula de Benedictione Mensæ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

In Feria V. Cœnæ Domini.

CÆna Domini Sacramentum illud magnum est, quod hodie Christus instituit, & in quo reliquit memoriam mirabilium suorum. Quo die consuetudine in nostra Provincia receptum est, quod Fratres præcepto annuæ Confessionis, & paschalis Communionis expressâ intentione satisfaciant: in quem finem, inter alias promulgationes pro hac die, & sequentibus fieri solitas, Fratres à Superiore admoneantur.

II. Paretur in Sacello Ecclesiæ, sepulchrum Domini mundum, devotum & simplex; ad cujus erectionem Sacristanus, vel alius à Superiore deputatus, non citius, quàm die Lunæ post Dominicam Palmarum incipere debet. Pro ostensorio, seu Monstrantia, Calice & Ciborio, parentur munda loculamenta, cum suis substratorijs, & suppositis Corporalibus, curetque Sacristanus, né à luminaribus, vel sepulchri curam habentibus, (quos præstat non esse Sæculares sed Fratres,) aliquid contingat, quod Sanctissimo Sacramento periculum vel irreverentiam causare possit.

III. Crux altaris majoris, & etiam crux Processionalis, pro hac die secundùm Vinitorem *p. 6. tit. 8. n. 1.* teguntur velo albo: Gavantus tamen putat illam, secundùm usum Romanum, debere esse tectam velo violacei coloris, prout etiam requirit Passionis tempus. *p. 4. tit 9. n. 9. lit. I.* quod etiam confirmat *Lohner p. 4. tit. 13. n. 1.* Altare majus ornetur velo & antipendio albis & pretiosioribus, ità tamen, ut facilè dimoveri queant: alia tamen altaria remaneant parata suis ornamentis violaceis cum suis crucibus, eodem colore tectis: at verò aciculæ amoveantur à tobalijs, & obiculi pro faciliori eorum denudatione. In Sacristia præparentur indumenta Sacerdotalia albi coloris pulchriora. Item amictus, alba, stola coloris albi pro Diacono: superpellicium pro Acolytho: Velum album oblongum imponendum humeris celebrantis. Monstrantia emundetur à pulvere cum lunula, & sit in parato,

Digitized by Google

to, ficut & calix pulchrior intectus pallâ, patenâ, & albo velo pretiosiori. In choro sit præ manibus instrumentum ligneum majus, quo Fratrts ad divina hoc triduo convocentur, & minus, quod serviat loco tintinabuli: thuribulum cum navicula, & cerei in Processione distribuendi: stolæ sufficientes pro Sacerdotibus communicaturis: item calix, cujus pes sit mundo linteo usque ad nodum involutus, pro ablutione Fratrum communicantium.

IV. Horâ septimâ detur campanâ unicum signum, & dicantur submissâ voce: *Prima*, *Tertia*, & *Sexta*, quod & duobus sequentibus diebus observatur, Fratribus per ligneam tabulam convocatis. Horâ nonâ dantur ictus tres pro dicenda *Nona*: subjunguntur posteà tria signa pro Missa solemni; sc. primum longum signum ad *Psl. Mirabilia*. Secundum cum ictibus ad *Psl. Principes*. In medio *Miserere* dentur viginti ictus. Superior Sacerdos talibus vestimentis indutus. Calici superponit tres hostias in Missa consecrandas: unam, quam cum sacro Sanguine sumit: alteram in Monstrantia adorationi populi exponendam: & tertiam, reponendam in calicem, & in crastinum conservandam.

V. Finitâ Nona Celebrans præcedente Acolytho in superpelliceo, & cum libro ante pectus ad altare procedat, & Missam solemnem celebret: quæ hoc peculiare habet, quod in illa non dicatur Psalmus *Judica me Deus*: neque *Gloria Patri*: etiam ad *Lavabo*, nec datur *Pax*. Secundò, quòd apud nos celebrans solum Hymnum Angelicum *Gloria in Excelsis Deo*, clarè inchoët; quem chorus prosequitur: sub illo pulsetur campana major, & omnes campanulæ minores usque ad finem: quæ posteà silent usque ad Sabbatum Sanctum. Atque ad evitandam confusionem, horum majoris campanæ superiùs in apice legilis religatur; cujus loco posteà ligneum instrumentum adhibetur. Post Hymnum Angelicum reliqua omnia sinè cantu peraguntur.

VI. Sumpto sacro Sanguine celebrans pallâ tegit calicem, quem in extremitate corporalis versùs Evangelium locat, fitque communio Fratrum, etiam Sacerdotum, ex decreto S. R. C. 27. Sept. 1608.

Digitized by Google

1608. In memoriam, quòd Christus communicavit Apostolos; & quamvis ordinariè hâc die Missæ privatæ non debeant dici; accedente tamen justâ & rationabili causâ, in loco secreto absque scrupulo dici possunt, modò ante Missam solemnem absolvantur. Ità *Gavant. p. 4. tit. 8. n. 6. lit. C. Vinit. p. 6. tit. 8. n. 4. Gobat Alphab. Sacrif. tract. 3. n. 219.* Sacerdotes autem accedunt ad sacram Synaxim cum stolis in modum crucis ante pectus decussatis, nudis pedibus, manibus ante pectus conjunctis, in modum orantium. Si magnus est numerus, quini & quini; quorũ primi factâ priùs insimul altari reverentiâ genuflectentes, dicant omnes *Confiteor*, & communicati surgentes præviâ Cruci reverentiâ eodem ordine ad Chorum revertantur; quibus succedunt reliqui, ante Clericos incedunt Ministrantes: demum sequentur Laici semper quini, nisi numerus deficeret, servantq; in communione easdem cæremonias, tenentes manus nudas ante pectus in modum orantium. Ut autem omnes insimul faciant reverentiam, primus, & cum ipso reliqui expectent, donec ultimò sequens in infimo affere æqualem secum lineam teneat. Omnibus communicatis, junior Sacerdos infundit vinum in calicem, linteo involutum, & porrigit ablutionem; postmodum Sacristanus cereos pro Processione distribuit; primò dignioribus & Senioribus, deinde junioribus.

VII. Interea Diaconus in Sacristia vestitus amictu, albâ & stolâ coloris albi, ab humero sinistro sub dextro brachio in modum crucis applicatâ, & peractâ etiam sæcularium, si qui adsunt, communione, in sinistro cubito, debitè complicatum velum oblongũ humeris celebrantis imponendum gestans, ad altare portat Monstrantiam, in cujus lunula, interim Sacerdos unam Hostiam consecratam reponit, ipsius ostiolo bene firmato: quod dum peragitur, Diaconus ad Sacristiam regressus adfert Calicem ampliorem (nisi id unica vice, dextrâ Monstrantiam, sinistrâ calicem adferendo præstet) ut suprà paratum, semper in accessu & recessu Venerabili profundam faciens genuflexionem: quem Diaconus discooperturn tenet ante celebrantem: hic verò factâ genuflexione alteram

Digitized by Google

ram hostiam dextrâ reverenter imponit; quem Diaconus super Corporale (quod debet esse aliquantò maius & latius, ut Monstrantiam & ambos calices capere possit) penes Monstrantiam locatum, tegit pallâ, deinde patenâ & albo velo. Postea Celebrans quod reliquum est Missæ absolvit; attendens, ut in recessu & accessu ad medium, Venerabili semper faciat genuflexionem; populo benedicturus, non vertat tergum Sacramento, nec describat perfectum circulum, ut infrà dicetur in Missa coram Venerabili. Ad Evangelium S. Joannis, Sacerdos non signet altare, quia adest Author benedictionum: nisi illud ex libro, vel tabella recitet; tunc enim potest signare librum vel tabulam. *Ad Verbum: Caro factum est*: Celebrans flectendo se vertat versus Sacramentum.

VIII. Sub Evangelio S. Joannis Fratres cum cereis accensis ex choro ante altare conveniunt, præeunte seniore laico cum Cruce; interea celebrans absoluto Evangelio, casulam retinens, quæ ei hodie servit loco Pluvialis, descendit ad primum gradum, & in suppedaneo genuflexus, factâ Venerabili profundâ reverentiâ, surgit, & stans imponit incensum in thuribulum sinè benedictione; Diacono tenente thuribulum, ministro verò naviculam offerente: demum genuflectens accipit thuribulum sinè osculis, ter Sacramentum incensat, antè & pòst profundè se inclinans. Reddito thuribulo Diacono sinè osculis, & ab hoc ministro, surgit cum genuflexione Diaconus, & velum album oblongum extendit super humeros celebrantis; ità ut æqualiter fluat super brachia & manus: ascendit ad altare, genuflectit, & surgens accipit Monstrantiam dextrâ, in medio ad nodum, sinistrâ verò ad pedem: & conversus stando porrigit celebranti genuflexo; qui illam eodem modo accipit; ità tamen ut nodus velo obvolutus sit, extremitates verò Veli, Diaconus in superioribus Monstrantiæ radijs æqualiter affigit, ut defluant, & ejusdē latera tegant: quo peracto, præeunte cruciferario inter duos ceroferarios, (qui sint duo juniores Laici) duo extrema candelabra cum ardentibus candelis ex altari accipientes, vadit processio: primò juniores, deinde seniores,

Digitized by Google

res, bini & bini, dextri in dextra, sinistri in sinistra tenentes candelas. Diaconus verò de manu thuriferarij accipit thuribulũ. Venerabile sub Processione per vices, flexis genibus ad idem conversus, incensaturus, præcedit Celebrantem, Diaconum Minister cum Navicula, & ligneo instrumento identidem secundus Acolythus, vel alius pulsat. Sacerdos verò cum Venerabili se ad populum vertens, clarâ voce incipit Hymnum: *Pange lingua gloriosi:* quem Chorus tardè & devotè prosequitur; ipse autem Sacerdos hymnum dicit submissè.

IX. Postquam Processio ad sepulchrum Domini (ante quod locus debet esse pervius) pervenerit; Cruciferarius cum portantibus candelabra maneat stans, reliqui omnes genuflectant, & Venerabili in transitu profundè se inclinent. Gradus si qui ad Sepulchrum constructi sunt, primò ascendat thuriferarius, sequatur Diaconus, qui reddito ante gradus thuribulo Ministro, Sacerdoti ascendenti pro commodiori ascensu Albam elevet. Sacerdos ubi ad medium pervenerit, stans dat Diacono genuflexo Monstrantiam, quam reverenter accipiens, portat ad locum in sepulchro præparatum; inde, prævia Venerabili reverentiâ, redit ad Sacerdotem genuflexum, removet velum ab humeris, ministrat genuflexus thuribulum â dextris, Thuriferarius naviculam â sinistris, Celebrans verò stans imponit thus sinè benedictione, ter incensat, & aliquandiu orat, & adorat Sanctissimum Sacramentum. Interea Diaconus, factâ prius Venerabili reverentiâ, redit ad majus Altare, cum Sacristano, unâ manu candelam, alterâ tintinnabulum ligneum, quod in transitu à Ministro recipit, habente; & inde cum debitis reverentiis ad Sepuchrum præeunte Sacristano cum candela, & iteratò signum dante asportat Calicem albo velo tectum cum sacra Hostia, quam etiam parato loco recondit: atque eodem modo Ciborium.

X. His peractis factâ Sacramento reverentiâ, surgunt omnes, extinguunt cereos, & revertuntur eodem ordine, nisi quòd thuriferarius præcedat cruciferarium, absque tamen suffumigatione.

Digitized by Google

Celebrans, recepto ex altari, in reditu ſuo calice, ad Sacriſtiam reverſus, exuit Caſulam, ſtolam, & manipulum albi coloris, & induit in modum crucis ante pectus ſtolam violaceam: mutat etiam Diaconus ſtolam albam cum violacea, qui cum Miniſtris in ſuperpelliceo Superiorem ad Chorum pro Veſperis accedentem præcedit; qui Miniſtros ſubſequitur, & incipit Veſperas. Quibus finitis, procedunt omnes quatuor manibus junctis, ad altarium denudationem ante altare: & Diacono ac miniſtris ante crucem altaris genuflectentibus, & iterum ſurgentibus; Celebrante verò tantùm profundam capitis inclinationem faciente, claré intonat Celebrans Antiphonam: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*: ultimò vocem inflectens. Chorus verò Pſalmum: *Deus Deus meus*: lentè proſequitur, quem Sacerdos inter denudationem cum Miniſtris ſubmiſſè recitat: poſt Antiphonam, ſtatim aſcendit cum Miniſtris ad Altare, & removet primò Tobalia, deinde reliqua Altaris ornamenta; relictâ tamen cruce velatâ in altari cum ſex candelabris. Aſſiſtit Sacriſtanus denudationi, cum duobus Clericis, vel Laicis, qui paramenta altarium referunt ad Sacriſtiam. Denudato majori Altari deſcendunt, & in infimo gradu, Sacerdos quidem profundam inclinationem, Miniſtri verò genuflexionem faciunt, & inde ad Altaria lateralia, primò quidem illud, quod ex parte Evangelij, deinde alterum, quod ex parte Epiſtolæ eſt; deinde ad Capellam, ſi quæ eſt, vadunt; & eodem ritu ac modo denudant: relictâ, ut dictum, cruce cum candelabris. Hoc tamen obſervato, quod Chorus, ſi longior fuerit denudatio, Pſalmum non repetat, nec Antiphonam, ſed ipſum lentiùs decantet. *Vinit. p. 6. tit. 9. n. 3.* Denudatione peractâ, Sacerdos cum Miniſtris ad Sacriſtiam revertitur, & Fratres è Choro cum ſilentio diſcedunt.

XI. Hoc triduo omnes tranſeuntes ante Crucem, quæ eſt in altari majori, faciant reverentiam cum genuflexione; excepto ſolo celebrante parato in ſacris indumentis, qui hac die ſolùm facit reverentiam cum capitis inclinatione; cras verò etiam ex præſcripto Rubri-

Digitized by Google

Rubricarum, genuflexionem facturus. Quod notent Fratres, qui translato ex altari Venerabili transeunt altare, sine ulla cruci reverentia.

LOTIO PEDUM

XII. EAdem die apud nos adimpletur Mandatum Domini, & à Superiore duodecim Fratribus lavantur pedes, in memoriam Christi, duodecim Apostolis lavantis pedes; & nobis exemplum relinquentis, ut quemadmodum ipse fecit, ità & nos faciamus. Idcirco à Superiore pridie, duodecim, ubi tot in familia fuerint: sin minus, omnes præter Ministros, pro lotione pedum designantur, & monentur, ut pro meliori exemplo, tum Fratrum, tum adstantium fortè Sæcularium, pedes aliquantisper emundent, quo religiosiùs, & absque cachinno, actus hic sacer peragatur. Nullus verò pertinaciter, nisi justa de causa apud Superiorem proponenda, lotionem tergiversetur, memor comminationis Christi: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.*

XIII. Sacristanus tempestivè in Refectorio medium Superioris tabulæ insternat, strophiolo mundiori acupicto, super quod postea S. Crux cum candelabris reponi queat: propè superiorem tabulam ex obliquo ponat legile, seu pulpitum ligneum intectum mundo mantili, & hinc inde Missalia disponat per tabulas. Deinde Sacristanus juxta *Rubr: Miss: Gavant: Vinit: & alios hic*, præparet Humerale, Albam & stolam violaceam pro Superiore mandatum expleturo; pro Diacono verò penes amictum & albam, stolam & manipulum albi coloris; pro thuriferario superpelliceum, & thuribulum cum navicula. Deinde crucem cum crucifixo, suo innixam postamento, in mensa sacristiæ, albóque tectam velo inter duo candelabra cum suis albis candelis reponat. Cellarius in medio Refectorii ex latere Sacerdotum, paret scamnum oblongum, intectum mantili, pelvim quoque ligneam, suo ab extra intectam linteo, ponat ante illud, sicque provisus floribus rosarum, lavendulæ &c. adsit quoq; linteum cum ligulis, quo Superior præcingatur, repositum

ad

Digitized by Google

ad ocum ſuum: infuſorium, aquâ roſaceâ autaceto roſaceo refertum, cum ſua pelvi & manutergio.

XIV. Culinarius habeat aquam paratam calidam & gelidam in mundioribus cantharis; ſitulam quoq; & aliud vaſculum pro evacuanda aqua. Præfectus communitatis pro quovis lavando in tabulis diſtribuat duodecim exterſoria, & habeat præ manibus tot, quot ſunt neceſſaria.

XV. Mediâ ſecundâ datur tabulâ ſignum prolixum per totum Conventum, Fratres ad lotionem pedum convocans: quo audito, ſe omnes confeſtim ad ſacriſtiam conferant. Interim accenſis candelis, Superior, & Diaconus paramentis induuntur, & Fratres initium Proceſſionis in ordine & ſilentio expectant: quam Superior erga Crucem verſus, Diacono â dextris, thuriferario â ſiniſtris, ſtantibus, & thuribulum, & naviculam miniſtrantibus, imponendo thus in thuribulum, cum benedictione, incipit Pſalm: *Miſerere mei Deus*: Tum acceptâ â Seniore Laico cruce, & junioribus Laicis candelabris, ordinatur Proceſſio. Præcedit Thuriferarius, ſequitur cruciferarius, in medio candelabrorũ: ſequuntur deinde juniores & ſeniores bini & bini: ultimo Superior, capite ab humeralitectus, Diaconum habens â ſiniſtris, cum libro Evangeliorum.

XVI. Cùm ad Refectorium pervenerint, Cruciferarius crucẽ ponat ſuper menſam, ſtrophiolo intectam, & ex utroq; latere ponantur candelabra. Fratres ſe dividant ante menſas in duos Choros, Superior capiat locum primarium, è regione verò Diaconus cum Miniſtro, donec Pſalmus ſit finitus cum inflexione vocis. Tum Diaconus ponat librum ad paratum legile, & accipiens de manu thuriferarij thuribulum, cum ipſo accedat Superiorem, qui more ſolito cum benedictione imponit thus: thuribulo igitur reddito Thuriferario, Diaconus accedit legile, & præmiſſo: *Munda cor meum*, accipit librum Evangeliorum, & tenens ante pectus clauſum, genuflexus ante Superiorem ſtantem, petit benedictionem dicens: *Jube Domne benedicere*; qui manum ponens ſuper librum

Digitized by Google

brum clausum: respondet: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut dignè & competenter annuncies Evangelium suum.* Demum dextrâ ad librum positâ, Diaconus osculatur, & reposito libro super legile, medius inter duos ceroferarios, incipit Evangelium cantare more solemni: *Dominus vobiscum*: Choro respondente: *Et cum spiritu tuo*: Dicendo: *Sequentia S. Evangelii* signat principium Evangelii, & seipsum; & deinde incensat trino ductu ut moris est; redditóq; thuribulo prosequitur Evangelium: *Ante diem Festum Paschæ*: totúmque sinè interpolatione absolvit. Juxta *Rubr: Miss: & Gavant: hîc. item Vinit: p. 6. tit. 10. n 6. Corsetti c. 7. n. 24.* Sub quo thuriferarius repetito per intervalla ductu, illud incensat.

XVII. Finito Evangelio, Diaconus porrigit librum Superiori deosculandum, eóq; ad pulpitum reposito, ipsum postea trino ductu incensat; & tum manipulo à Diacono, thuribulo verò à thuriferario ad mensam repositis, accedunt Superiorem, & offerunt linteum paratum; quo ipse præcingitur; elevatâ etiam, si opus fuerit, anteriori parte albæ, & manicarum principiis ad intra replicatis; medius inter Diaconum & thuriferarium accedit ad lotionem pedum. Culinarius interim mundioribus urceis, altero aquam calidam, altero gelidã afferat, In loco ipso, Superior genuflexus, infundit aquã calidã in pelvim, seu vasculũ, illam gelidâ temperans, & flores aridos inspergens, nisi jã antea vasculo sint injecti.

XVIII. Sub accessu Superioris ad lotionem, uterque Chorus ex suo latere occupet sessionem, Seniore ad initiũ lotionis clarâ voce incipiente Antiphonam: *Mandatum novum do vobis* &c. altero choro respondente: *Beati immaculati*, &c. deinde reliquæ Antiphonæ & versus Psalmorum ut in Missali notati ab utroq; Choro alternatim cantentur, cum inflexione vocis in fine singulorum versuum & Antiphonarum: & tam diu repetantur, donec lotio duodecim Fratrum, vel tot, quot fuerint designati, peracta sit. Lotio pedum incipit â laicis, deinde lavantur clerici, ultimò Sacerdotes, â Junioribus semper deveniendo ad seniores. Quivis unum è paratis per mensas linteis accipiens, accedit locum, & osculatâ terrâ, dicit

Digitized by Google

dicit *Benedicite*: surgénsq;, & linteum ministris porrigens, habitum honestè super genua revolvens complicat, séq; ponit super scabellum, pedibus vasculo impositis, quos Superior super genua linteo, ut moris est, concingens, utrúmq; pedem lavat, primò dextrum, deindè sinistrũ extergit, linteis ministratis â Diacono: qui â dextris, & thuriferario, qui â sinistris flectat; quæ â Fratribus Laicis ad ignem calefacta, his porriguntur & osculatur, infigentibus etiam osculum Ministris: demum recedit genuflexus osculatâ terrâ dicit: *Sit amore Dei charitas vestra.* Quatuor aut sex Fratrum pedibus lotis, solet removeri aqua calida & antiqua, si exuperat, in paratum adid vasculum effundi.

XIX. Peractá lotione Fratres surgunt, & ante mensas se collocant in ordine; Superior verò surgens lavat manus, Diaconóque infundente super pelviculã aquam odoriferam, & thuriferario ministrante manutergium; deinde deponit linteum, quo erat præcinctus, manicarum principia explicat, redit ad locum, unde discesserat, & Diaconus ante pectus Missale tenens, accedit ad Superiorem, qui dicit clarâ voce: *Pater noster*: quô secretò persoluto dicit: *Et ne nos inducas* &c. & reliquos versiculos, ad quos Chorus respondet, & orationem, prout in Missali, voce quidem humili & gravi, non tamen in fine inflexâ. Quibus omnibus finitis Superior resumit Psalmum *Miserere*: & Processio eodem, quo venerat ordine, ad Sacristiam revertitur: & Cruce in mensa Sacristiæ inter duo candelabra repositâ, Superior inter Ministros ad illam conversus, Fratribus verò in ordine stantibus, post Miserere, subjungit: *Respice quæsumus Domine* &c. demum Fratres factâ Superiori reverentiâ, &: *Sit amore Dei charitas vestra*, dicentes, cum silentio discedunt. Superior verò cum Ministris paramentis exuitur.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

In Parasceve,

PParasceve, idẽ quod Præparatio. *Gavant: hoc loco.* Fratribus minoribus contemplationi Mysteriorum Dominicæ Passionis ex instituto

Digitized by Google

inſtituto ordinis deditis, præbet argumentum, ut corda ſua Chriſto morienti hodie præparent in ſepulchrum; & juxta Apoſtoli conſilium, illum ſolum in animo, in cogitatione, in corde gerant, qui talem ſuſtinuit pro peccatoribus adverſùs ſemetipſum contradictionem. Hâc & ſequenti nocte poſt flagellationem in refectorio, prout heri, peractam, Fratres ſe conferunt ad Eccleſiam, coram Venerabili facturi orationem mentalem.

II. Sacriſtanus manè poſt Primam, Tertiam, & Sextam, horâ ſeptimâ perſolutas, præparet in Sacriſtia indumenta ſacerdotalia; pro Superiore, mundiora quidem, ſed coloris nigri: pariter pro Diacono humerale, albam, ſtolam, & manipulum ejuſdem coloris; ſuperpelliceum pro Miniſtro, thuribulum & naviculam, velum album oblongum imponendum humeris Celebrantis, burſam nigram cum corporali & purificatorio, ampullas vitreas cum vino & aqua, pelviculam cum manutergio. Ita *Gavant. p. 4. tit. 9. n. 2. lit. B. Vinit. hìc. Corſetti c. 8. n. 1.* Miſſalia duo cum cuſſino nigro, & tobale longum, plicatum tamen, & extendendum ſuper altare initio officij: tapetem pulchrum cum cuſſino pretioſo, in cujus defectu ſufficiat violaceus, cum cuſſino albo, quibus crux pro adoratione ſuperponatur. Altare remaneat totum nudum, ſolâ tantùm ceratâ telâ intectum; habeat tamen crucem velatam nigro velo; ſed ità aciculis aptato, ut ejus ſummitas úſq; ad tranſverſum lignum, deinde dextrum brachium cum capite, & demum tota crux detegi queat. Item ſex candelabra cum ſuis candelis de cera communi ſeu flava. In Choro parata ſit Crux proceſſionalis, quæ tamen ad Proceſſionem detecta ſit: candelæ ceræ communis ad uſum Fratrum in Proceſſione; inſtrumentum ligneum, majus in Choro, & minus ad Altare. Ad cornu Epiſtolæ ſtet pulpitum nudum ábſq; mantili, gradus altaris ſint mundi pro Sacerdotis proſtratione, non tamen intecti panno nigro, quod ſaperet ſolemnitatem. Ità *Gavant. & Corſetti loc. cit.*

III. Media nonâ detur inſtrumentô ligneô majori ſignũ prolixũ pro Nona, ſub qua iterùm dantur tria ſigna ſucceſſiva, cum mo-

Digitized by Google

dica tamen interpolatione pro sacris officijs. Interim Superior cum Diacono & Ministro induitur paramentis, Nonâq; terminatâ, cum ijsdem junctis ante pectus manibus, absque Calice & libro egredietur unus post alium. Cúmque ad Altare pervenerint, in infimo assere lineam rectam tenentes, in medio Sacerdos, â dextris Diaconus, Minister â sinistris, genuflectant, & statim se super altaris Suppedaneum in parte anteriori prosternunt, & ibi aliquamdiu, circiter unius *Miserere* orant, *Vinit. p. 6. tit. 11. n. 6.* Et licet nihil præscriptum sit, quid orare debeant, convenit tamen, ut Christũ in monte oliveti prostratũ imitantes, ter cum aliqua mora dicant: *Pater si possibile est, transeat â me calix iste; verum tamen non mea, sed tua voluntas fiat. Lohner, tit. 15. lit. E.*

IV. Sub qua prostratione Sacristanus cum altero Clerico egressus, extendit Tobale super altare, superponit cussinum nigrum in cornu Epistolæ, desuper locat unum Missale apertum, alterum verò ponit super nudum pulpitum pro usu Ministrorum. Sacerdos peractâ oratione surgens ascendit altare, osculatur illud in medio, & accedit cornu Epistolæ, ubi submissâ voce sine titulo legit Prophetiam. Quod dum præstat, Clericus Minister, qui saltem habeat quatuor Minores, aut quod melius foret, Subdiaconatum in superpelliceo accipit librum ex pulpito, & tenens illum ante pectus, vadit ad medium altaris, ibique facta cruci genuflexione, redit ad cornu Epistolæ, & sibi ipsi librum tenens cantat in tono Lectionis sine titulo Prophetiam, ad finem tantùm vocem more solito inflectens. Postea cum libro ante pectus ad medium altaris revertens genuflectit, non utróque, sed uno tantùm genu, erectus reponit librum ad pulpitum, & redit ad suum locum, qui est, stare post Diaconum.

V. His â Choro, â quo nemo sine legitima causa & licentia se absentet, subjungitur Tractus, cum inflexione vocis, qui â Sacerdote legitur submisse, eóque finito, Sacerdos in cornu Epistolæ stans dicit: *Oremus*, & statim Diaconus ante alios genuflectens dicit: *Flectamus genua*, in tono consveto; tum omnes, etiam qui in Choro sunt,

Digitized by Google

ſunt, genuflectunt, excepto ſolo celebrante. (Ineptè igitur faciunt, qui hiſce Myſterijs in Choro genuflectentes interſunt.) Miniſter verò, qui in hoc vicem Subdiaconi agit, ante alios ſurgens dicit: *Levate.* & omnes ſimiliter ſurgunt. Tunc Celebrans expanſis manibus dicit orationem, ad quam Miniſtri ſtant, unus poſt alium retro Celebrantem. Poſt orationem iterum accipit librum Acolythus ex pulpito loco Subdiaconi (niſi ob defectum ordinis id præſtaret Diaconus) & ad medium vadens cum ijſdem, ut ante cæremonijs, redit ad pulpitum, in quo librum reponens ſinè titulo cantat Epiſtolam, in fine vocem inflectit, nec reſpondetur: Deo gratias in fine. Tum cum libro ante pectus ad medium reverſus, repetit genuflexionem, librum reponit ad pulpitum, nec oſculatur manum celebrantis: ſequitur deinde Tractus in Choro, quem Celebrans in cornu Epiſtolæ ſubmiſſè legit, qualiter etiam legit Epiſtolam: *Rubr. Miſſal. Gevant. Vinit. Corſetti loc. cit.*

VI. Ad finem Tractûs, Miniſter portat pulpitum ad cornu Evangelij, ex quo Diaconus librum accipiens, factâ prius in medio altaris genuflexione & ſinè luminaribus, ſinè, Munda cor meum, ſinè Benedictione, redit ad pulpitum, & explicato Miſſali abſque incenſo, nec ſe nec librum ſignans, inchoat Paſſionem conſueta modulatione, & ſi poſſibilè, omnes tres perſonas: videlicet Evangeliſtam, Turbam, & Chriſtum repræſentet: ſin minùs totam Paſſionem æquali tono cantet; quam Celebrans, paulò ad Diaconum converſus, in cornu Epiſtolæ junctis manibus ſubmiſſè legit, uſque ad finem illius partis, quæ habetur pro Evangelio inclusivè: præmittens tamen ibidem ante illud, *Munda cor meum*, ſinè, Jube Domine benedicere: neque genuflectit, quando pervenit ad mortem Chriſti; ſed cum Diacono, dum ille illùc pervenerit, genuflectit. Poſtquam Paſſionem cum Evangelio ex integro legerit, convertit ſe ad Diaconum, quod etiam in recta linea à ſiniſtris præſtat Miniſter Clericus, junctis manibus, ad *Nomen JESU*, caput verſùs crucem inclinantes. Poſt quam Diaconus ad mortem Chriſti pervenerit, ipſe verſus librum, Celebrans verò cum Miniſtro in medio altaris

Digitized by Google

versus crucem, spatio unius Pater noster ambobus genibus flectant: deinde surgentes, Diaconus prosequitur, & Celebrans redit cum Ministro ad suum locum ad Diaconum conversus; qui dum illam partem, quæ in tono Evangelij canitur, attingit, accepto libro ante pectus, vadit ad medium altaris, ibique in gradu medio genuflexus dicit: *Munda cor meum*: & sinè benedictione ad pulpitum regressus, sinè luminaribus & incenso, quod reliquum est, cantu solemni absolvit. In fine autem librum non tradit osculandum Celebranti: *Rubr: Miss. Gavant, Vinit. Corsetti loc. cit.*

VII. Peractâ passione, Sacerdos in cornu Epistolæ incipit absolutè, & cantat Monitiones, videlicet pro Imperatore, pro Catechumenis, pro Iudæis, &c. manibus junctis: Orationes verò manibus extensis, prout in Missali, nunquam genuflectens: Ministri verò manibus junctis stant post ipsum, unus post alium; Diacono, dum opus est, dicente: *Flectamus genua*. Acolytho verò, *Levate*: juxta ritum supra notatum. *Ita Vinit: p. 6. tit. 11. n. 17. Gavant: p. 4. tit. 9. n. 9.* In oratione pro Papa, Celebrans exprimendo ejus nomen, caput versus librum inclinat; Sede autem vacante omittitur. Pro Imperatore, si non sit coronatus, dicitur Electo, nec potest alterius Regis, aut Principis, juxta Bullam B. Pij V. fieri expressa mentio. Sub monitionibus & orationibus, Fratres in Choro stent, quando autem dicitur, *Flectamus genua*: omnes flectant genua. Ad finem Orationum Sacristanus ante Rastellum explicet pannum cum cussino, ex latere Epistolæ, pro repositione Crucifixi, nisi id ante officium factum sit.

VIII. Completis orationibus Celebrans in eodem cornu Epistolæ, deponit Casulam. Interea Diaconus accedit ad medium Altaris, & factâ cruci reverentiâ, illam post cornu Epistolæ ad posteriorem altaris angulum portat. Sacerdos verò per gradus ad cornu Epistolæ descendens in posteriori parte anguli accipit crucem â Diacono, & medius inter Diaconum â dextris, & Acolythum â sinistris, facie ad populum conversus, dextrâ detegit crucis summitatem, usque ad lignum transversum, ità tamen, ut facies Crucifixi

Digitized by Google

cifixi non appareat, & tum ambabus manibus elevatâ cruce ad oculorum altitudinem, illam populo oſtendit; gravi & ſonorâ voce ſolus incipiens: *Ecce lignum crucis:* in reliquis â Miniſtris juvatur. *In quo ſalus mundi pependit*: deinde omnibus, præter Celebrantem, genuflectentibus, & caput profundè demittentibus, reſpondet Chorus: *Venite adoremus.* Inde procedit ad anteriorem partem anguli ejuſdem cornu Epiſtolæ, in loco ubi dicitur Introitus, detegit brachium dextrum & caput crucifixi, mediúſque inter Miniſtros altiùs intonat ſolus: *Ecce lignum Crucis:* crucem quóque altiùs elevans: reliqua â Miniſtris & Choro fiunt ut ante. Demum vadit ad medium altaris, ibidémque cruce totaliter diſcooperta, eâque adhuc altiùs elevatâ, iterum altiùs intonat: *Ecce lignum crucis* &c: ut ſupra Miniſtris juvantibus, Choro reſpondente, & omnibus præter Celebrantem genuflectentibus, & tunc â ſacriſtano in omnibus altaribus cruces detegi poſſunt.

IX. Poſtea Celebrans Crucem vel eandem, vel aliam majorem â Sacriſtano in Cornu Epiſtolæ pro adoratione miniſtratam, ſolus ſine Miniſtris, ambabus manibus, facie crucifixi ad populum verſa, deferat ad locum præparatum extra cancellos; & ibidem genuflexus deponat Crucem ſuper cuſſinũ, & ſtratum tapetem, ſurgenſq; cũ genuflexione ex latere Epiſtolæ deponit crepidas, & ſolus manibus junctis, oculis demiſſis vadit ad crucem adorandã, ter in tribus diſtinctis locis, æqualiter diſtantibus, genuflectens. Primò ad vaſculũ aquæ benedictæ. Secundò in medio Eccleſiæ. Tertiò ad ipſum Crucifixũ, ad quam vis genuflexionem orans: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum,* cum adjecto, *Pater & Ave. Ità Lohner p. 4. tit: 15. n. 10. lit: C.* Quam primùm Celebrans accedit ad adorandam Crucem cantantur â Choro Improperia; poſtquam celebrans adoravit Crucem, eam deoſculatur: cùm autem Rubrica ſolummodò adorationem Crucis præſcribat, ſufficit oſculum infigere Vulneri lateris Chriſti; alia enim vulnera vel membra cum tanta corporis inflexione & diſtorſione oſculari, devotionẽ non pariunt; unde etiam abſtinendum.

Digitized by Google

Poſt oſculationem devotè impreſſam, ſurgit Sacerdos cum genu flexione, reſumit crepidas, revertitur ad altare, reinduit Caſulam, & in cornu Epiſtolæ legit improperia; quæ bipartitus Chorus ad initium adorationis cœpit decantare.

X. Celebranti ſuccedit Diaconus cum Acolytho, his reliqui Fratres bini & bini; primò Seniores, deinde Juniores, nudis pedibus, junctis ante pectus manibus, oculis demiſſis, etiam ter in locis ſupra deſignatis genuflectentes, ſinè oſculo terræ, & ut præfertur, orantes, nec in tranſitu ſepulchri, eô oculos aut corpus convertentes: ubi verò ad crucẽ pervenerint, dignior genuflectat â dextris, alter á ſiniſtris, ità ut crucẽ habeant mediã: peractâ Oratione, dignior primò oſculetur, & expectet, donec alter oſculationẽ perfecerit, & tum ambo devotè ſurgentes cum genuflexione: Diaconus quidẽ & Acolythus ad Celebrantem poſt ipſum ſtantes, reliqui verò ad Chorum revertantur. Hac tamen cum obſervatione, ut ſenior egrediatur ex latere Evangelij, & cum juniore ex latere Epiſtolæ egreſſo, ſe in medio ante altare conjungat, & factâ Cruci reverentiâ (ſi quæ proſtat) ad adorandum procedant. In reditu verò ſenior iterum ſumat dextram, & in cornu Epiſtolæ ingrediatur, alter verò in cornu Evangelij. Debet autem in hac adoratione nulla mora interponi, ſed dum primi ad ſecundam genuflexionem accedunt, bini ſequentes ad primam procedant, & dum illi tertiam abſolvunt, ſecundam incipiant, & ſic deinceps, ne adoratio diutiùs protrahatur; dummodò id Fratrum in Choro canentium paucitas admittat, nè Improperiorum cant⁹ interrumpatur; ad quod ſenior in Choro diligenter attendat. Prælati ſiqui adſunt, inter quos utique etiam cenſendus noſter A. R. P. Provincialis, ſi non ipſemet celebret, debent ſtatim adorare poſt Celebrantem. Sæculares verò etiamſi eſſent Principes, non niſi poſt Clerum; & ſi longior eſt Adoratio, repetuntur à Choro Improperia ab Hymno, *Pange lingua*.

II. Ad finem adorationis, à Sacriſtano, vel Acolytho, accenduntur ſex candelæ majoris altaris. Diaconus vadit ad ſacriſtiam, & aſſumptâ Burſâ nigrâ cum corporali & purificatorio, corporale in medio

Digitized by Google

medio altaris explicat, & juxta ponit purificatorium. Acolythus verò cussinum cum libro ad cornu Evangelij transfert. Peractâ adoratione, Diaconus reverenter accipiat crucem, & super altare reponat, amoto per Sacristanum tapete, & cussino, nisi præter illam crucem, à Superiore detectam, & in altari relictam, alia fuisset (uti quidam in more habent) pro adoratione exhibita; & tum ubi Fratres impediret in Processione, æquè removenda; secus verò relinquenda est.

II. Postea Fratribus è Choro cum candelis extinctis exeuntibus ante altare, ordinatur Processio ad Sepulchrum. Præcedit Cruciferarius inter duos Fratres deferentes candelabra cereis accensis & Patres ac fratres per ordinē secundū dignitatē, quos sequitur Acolythus cum thuribulo & navicula; ultimò Celebrans, cum diacono, habente in sinistro cubitu velum album oblongum, ambo manibus junctis ante pectus in silentio. Ubi ad Sepulchrum pervenerint, cerei Fratrum statim accendantur. &, excepto Cruciferario (qui à Sepulchro remotus versùs Altare capiat stationem, pro faciliori reditu) & ferentibus candelabra, omnes genuflectunt: Juniores prope crucem in ordine, Seniores prope Celebrantem; quod ut fiat sinè impedimento sedilia removeantur. Celebrans in medio Ministrorum ante Venerabile genuflexus, illud per morulam adorat; postea surgens absquè benedictione imponit incensum in thuribulum, Diacono naviculam & Acolytho thuribulum ministrante, & genuflexus ter incensat cum profunda ante & post inclinatione. Cuius deinde humeris Diaconus velum oblongum imponit, ut æqualiter defluat, & accedens ad locum, factâ genuflexione, calicem cum eodem velo albo, quod in illo heri fuit, *Gavant p. 4. tit. 9. n. 13. lit. Z.* dextrâ nodum, sinistrâ pedem apprehendens, defert ad Celebrantem, & stans genuflexo porrigit; qui sinistrâ nodum accipit, & extremitatibus veli oblongi, à Diacono super Calicem expansis, dextrâ superioritatem tenens, surgensque & ad populum versus clarè incipit Hymnum; *Vexilla Regis prodeunt*; quem Chorus Fratrum tardè prosequitur; Celebrans autem recitat

Digitized by Google

recitat ſubmiſſè, ſicque Proceſſio ad altare regreditur, in cujus regreſſu Diaconus per vices genuflexus, Sacramentum incenſat, Thuriferario naviculam præferente.

III. Cum Proceſſio venerit ad Altare, Cruciferarius in angulo Epiſtolæ crucem reclinans, genuflectit; Ceroferarij candelabra ad altare reponunt, reliqui fratres in plano altare circumdant genuflexi, candelas accenſas in manibus tenentes; Sacerdos verò altare accedens, in ſecundo gradu ſtans, remotis veli extremitatibus, Calicem tradit Diacono, flexo in ſuppedaneo altaris; qui ſtatim ſurgens eum in medio corporalis locat, & facta genuflexione deſcendens porrigit celebranti in Suppedaneo altaris genuflexo naviculã, Thuriferarius thuribulum; qui ſurgens ut ante imponit incenſum, & ter thus adolet Sacramento. Deponit deinde Diaconus velum ab humeris celebrantis, quod Acolytho tradit ſervandum. Poſtea Sacerdos ſurgens aſcendit altare, genuflectit cum Diacono, deponit velum album, patenam, & pallam à Calice, quem accipiens ex eo Hoſtiam deponit ſuper patenam, elevatam à Diacono, adhibita ab utróque cautela, ne Hoſtiam ſacram tangant. Quod ſi contingeret Hoſtiam ex inadvertentia tangi, abluat ſtatim digitos in aliquo vaſe mundo, tergat purificatorio, & ablutio in ſacrarium fundatur. Tum repoſito Calice ad locum ſuum, accipit patenam de manu Diaconi ſine oſculo, & ſacram Hoſtiam ponit ſuper Corporale, nihil dicens. Interim Diaconus imponit vinum & aquam, ſine benedictione Sacerdotis in Calicem, quem prius non extergit, Acolytho ampullas miniſtrante, nec Sacerdos dicit: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ*: Poſtea accepto à Diacono Calice ſinè oſculo manûs, ponit illum ſuper corporale, nec faciens ſignum crucis cum illo, nec aliquid dicens; quem Diaconus pallâ cooperit ſinè genuflexione. *Rubr. Miſſalis, & Gavant: hìc.*

XIV. Deinde celebrans factâ Sacramento geniculari reverentiâ, vadit ad cornu Epiſtolæ, ubi Diacono naviculam, thuriferario thuribulum miniſtrante, imponit thus, omittens orationem: *Per interceſſionem*: & benedictionem, acceptóque ſinè oſculo manûs thu-

Digitized by Google

thuribulo, incenſat in medio oblata, & Altare more ſolito, dicens: *Incenſum iſtud*: &c. *Dirigatur Dñe oratio mea &c*: genuflectens quandocunq; tranſit Sacramentũ, Miniſtris planetã tunc â tergo elevantibus; redditóque in cornu Epiſtolæ thuribulo dicit: *Accendat in nobis*, &c. attamen non incenſatur. Deinde lavat manus in cornu Epiſtolæ nihil dicens. Inde redit ad medium Altaris cum reverentia, junctíſque manibus ſuper Altare de more inclinatus, dicit ſubmiſſè: *In Spiritu humilitatis*: & c. & oſculato Altari genuflectit, & ad populum ſe vertens dicit: *Orate Fratres*: caveátque nè tergum vertat Sacramento, ſed circulum non perficiens, per eandem viam revertitur. Reſponſio autem *Suſcipiat Dominus*, omittitur â Miniſtro. Tum verò omnibus alijs omiſſis, immediatè clara voce dicit: *Oremus, Præceptis ſalutaribus* &c. Et *Pater noſter*, more ſolito clarè, Choro reſpondente: *Sed libera nos ân malo*: ipſe ſecretò ſubiungit. *Amen*. Et ſtatim eâdem voce quâ dixit: Pater noſter: dicit: *Libera nos quæſumus Domine* &c: manibus extenſis ſinè ſigno crucis cum patena; in cujus fine Chorus reſpondet: *Amen*.

XV. His peractis Celebrans genuflectit devotè, ſurgit, ſupponit patenam S. Hoſtiæ, éamque dextrâ tantùm accipiens, elevat, ità ut ab omnibus videri & adorari queat; figens ſemper in ſacram Hoſtiam oculos, & advertens nè limites corporalis excedat; cum qua tamen ſimul patenam non elevat, ſed illam ſiniſtrâ tenet ſuper corporale. Miniſtris tunc in ſecundo gradu genuflectentibus, nec planetam elevantibus, nec Hoſtiam incenſantibus. Et ſtatim Sacerdos dividit hoſtiam in tres partes ſupra Calicem, quem Diaconus diſcooperit & cooperit cum debitis reverentijs, & particulam ponit in calicẽ, ſinè ullo ſigno crucis: nec dicens, *Pax Domini*, nec *Agnus Dei*, neq; datur pacis oſculum, ſed prætermiſſis duabus primis orationibus, tantùm tertia. *Perceptio Corporis*, dicitur junctis manibus ſuper Altare. Quâ dictâ genuflectit, ſurgit & dicit reverenter, *Panẽ cæleſtem accipiam*, & Sacerdotis fit communio pro ut in Miſſali; ad quam Miniſtri ſtant capite inclinato, eáq; peractâ ſe erigunt. Tum omiſſis illis quæ dici ſolent in ſumptione ſanguinis, detecto per Dia-

Digitized by Google

conum calice,& factâ ab omnibus genuflexione, Celebrans accipit reverenter calicẽ,non tamen ſe ſignans,vinũ cũ particula ſumit, & more ſolito, factâ in cornu Epiſtolæ, non calicis, ſed digitorum ſupra Calicem ablutione,eáque ſumptâ, & ore digitiſque exterſis, jungit manus ante pectus, & dicit: *Quod ore ſumpſimus* &c. tunc & non priùs extinguuntur cerei à Fratribus. *Vinit p. 6. tit. 11. n. 48.* Poſtea reliquis omnibus omiſſis, Diaconus claudit librum, Sacerdos plicato Corporali, & in Burſam repoſito, calicem patenâ & pallâ intectum, velo cooperiens accipit, & cum Miniſtris Diacono librum, Acolytho thuribulum & naviculam ferentibus, deſcendit in planum, & factâ Altari genuflexione, capite tectus redit ad Sacriſtiam. Cantantur deinde Veſperæ, ſub quibus candelæ in majori Altari relinquuntur accenſæ, quibus finitis extinguuntur & iterũ denudatur Altare, remanente Crucifixo cum ſex candelabris.

XVI. Peractis omnibus Fratres ſe conferant ad Refectorium, ibíque per *Miſerere, Deus miſereatur, De profundis, Chriſtus factus eſt, & Reſpice*, ſe flagellant; & dato ad menſam per ligneum inſtrumentum ſignô, dictáque benedictione, omnes comedunt in terra, & quidem ſolum panem & aquam. A quo ſacro exercitio nemo ſe abſentet, etiam prætextu majoris abſtinentiæ. Poſt refectionem, dato â Superiore ſigno, omnes ſurgant, manipulo, reſiduo pane & cantharo ad Menſam repoſitis, gratias agant, & demum poſt gratiarum actionem, quivis ſuum panem & cantharum ad Cellarium reportet, relicto in menſa manipulo, quem Cellarius poſtea colligit pro cujuſvis ordine.

XVII. Hodie ex Decreto S. R. C. 19. Febr. 1622. nullis, niſi infirmis, ſacra Communio diſpenſatur. Quòd ſi concurrat feſtum Annuntationis B. V. nullum poteſt dici ſacrum de B. V. etiamſi ſit Patrocinium, prout eſt in Conventu Olomucenſi & Neoſtadienſi: nec fideles tenentur intereſſe officijs Divinis. *Ita etiam Gavant: Vinit: Corſetti, & Arnaud. hoc loco.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM QUINTUM

In Sabbato Sancto

PRo hac ſacra die, & ipſis Feſtis Paſchalibus, vel pridie ad Veſperum ſub ſerum noctis, vel hodie manè poſt orationem ad Sepulchrum peractam, omnia Altaria ſubmotis imaginum tegumentis, iterum veſtiantur Tobalijs mundis, æqualiſſimè, & ſinè plica expanſis, & reliquo feſtivo apparatu, qui talem ac tantam ſolemnitatem deceat, ſed albo ornentur, ità tamen, ut úſque ad finem Litaniarum, ſuper albo veſtiantur violaceo. Ad latus Evangelij paretur pulpitum: mundo mantili intectum, & ſuper illud Miſſale clauſum. Cereus etiam Paſchalis benedicendus collocabitur ex parte Evangelij in candelabro, *Gavant. p. 4. tit. 10. n. 2. lit. a. Corſetti. Vinit hoc loco.* unde ſinè fundamento ſimul aſportatur ad benedictionem ignis. In Sacriſtia præparentur indumenta ſacerdotalia pro Superiore albi & violacei coloris. Pro Diacono amictus, Alba, ſtola alba cum manipulo albo. Pro Acolytho, ſuperpelliceum, thuribulum & navicula. Item parentur, vas aquæ benedictæ cum aſpergillo: in teſtacea pelvicula quinque grana incenſi: una vel triplex candelula cum filis ſulphuratis: Arundo cum ſuis tribus candelis infra adunatis, poſtmodum aliquantum inflexis, & ad formam trianguli æqualiter invicem diſtantibus, & inſuper crux proceſſionalis.

II. Mediâ nonâ dentur inſtrumento ligneo tria ſigna ſucceſſiva pro officijs divinis. Eodem tempore â Janitore extra portam Eccleſiæ de ſilice excutitur ignis, & in foculo ferreo, ſi adſit, vel ſaltèm in terra; exinde accendantur ligna exſiccata, & carbones pro novo igne benedicendo. Adſit quoque forceps, & in orbe vel ſcutella candelula una, vel plures cum filis ſulphuratis. *Gavant: loc: cit: lit: e.* Itidem lucerna, cui flante vento, candelula accenſa nè extinguatur, imponitur. Interea in Choro perſolvitur Nona, ſub qua Superior humerali, albâ, & ſtolâ violacei coloris, Diaconus itidem more ſuo induuntur. Finitâ Nonâ, Fratres omnes ad Sacriſtiam ſe conferunt.

Digitized by Google

runt, & ordinatur Proceſſio. Præcedit primò Acolythus, cum Vaſculo aquæ benedictæ & aſpergillo: hunc ſequuntur Thuriferarius cum thuribulo vacuo & navicula à dextris; & Acolythus cum pelvicula quinque granorum thuris à ſiniſtris, *Vinit. p: 6: tit: 14. n: 3.* Deinde ſequitur Cruciferarius, poſtea Fratres bini & bini; inter quos unus arundinem, alius ſtolam & manipulum albi coloris pro Diacono, deferunt. Ultimò Celebrans junctis manibus, cum Diacono à ſiniſtris portante librum: omnes nudo capite, præter Celebrantem, qui ſit ab humerali capite tectus. Interim luminaria, & lampades omnes in Eccleſia extinguuntur, ut de novo igne benedicto reaccendi poſſint juxta *Rubric: Miſſ:* Proceſſio per Chorum tranſiens exeat per portam Monaſterij. Cruciferarius ad portam Eccleſiæ, cui tergum vertat, ſe cum cruce ſtatuat ante faciem Celebrantis. Clerus hinc inde ex utróque latere, juniores cruci, Seniores Celebranti viciniores. Diaconus à dextris Celebrantis, cum Thuriferario & reliquis clericis, benedicenda deferentibus.

III. Tum Celebrans benedicit novum ignem ex Miſſali, quod illi Diaconus tenet, dicit orationes manibus junctis, & dum format ſignum crucis, ſiniſtram ponit ſuper pectus. Igne verò benedicto, accedit Acolythus, vel Frater, quinque grana incenſi portans, quæ etiam benedicit abſolutè ſinè *Oremus.* Interim Thuriferarius carbones benedictos, forcipe imponit in thuribulum, & finitâ oratione accedit Celebrantem; qui imponit & benedicit thus in thuribulo more ſolito, Diacono cum oſculis naviculam miniſtrante. Deinde accepto cum oſculo à Miniſtro aſpergillo, qui vaſculum defert, ter aſpergit grana incenſi, & poſtea ter novum ignem, utrumque videlicet in medio, à dextris & à ſiniſtris, dicens; *Aſperges me* &c. ſinè pſalmo Miſerere. Poſt hoc accipit à Thurifer rario thuribulum, prævio oſculo, & eodem quo aſperſit modo, ter incenſat. Accenditur deinde candelula medijs filis ſulphuratis de novo igne, & ſi opus, lucernæ includitur, nè à vento extinguatur: quod dum fit, Diaconus mutat ſtolam violaceam cum alba, induit manipulum pariter album, & accipit arundinem cum candela triangulari. *Rubr: Miſſ. Gavant, Vinit: loc: cit.* IV His

Digitized by Google

IV. His peractis, ingreditur Processio Ecclesiam, Thuriferarius impositò priùs incensò à Celebrante in thuribulum cum solita benedictione, præcedit cum thuribulo fumigante, & navicula: à sinistris habens Clericum cum quinquè granis incensi, sequitur Cruciferarius, deinde reliqui Fratres bini & bini. Hos sequitur Diaconus cum arundine, habens à sinistris Clericum, portantem candelam accensam; etiam, si opus sit, in laterna.

V. Ultimò incedit Celebrans manibus junctis, capite tectus, quo Ecclesiam ingresso, omnes sistunt, & Diaconus inclinat arundinem, in qua Clericus candelulâ de novo igne accensâ, accendit unam ex tribus in arundine; statimque genuflexus, & cum ipso omnes alij, solo Cruciferario excepto, elevata arundine, solus tono consveto cantat: *Lumen Christi.* Fratribus respondentibus eodem tono: *Deo gratias.* Inde procedit ad medium Ecclesiæ, ubi altera arundinis candela, de eadem accenditur candelula & iterum cum omnibus genuflexus, excepto Cruciferario ut ante, altiùs canit; *Lumen Christi.* Id ipsum fit tertiò ad summi Altaris Rastellum. Deinde Celebrans, factâ priùs cruci in Altari reverentiâ, ascendit ad cornu Epistolæ, Diaconus arundinem uni Clerico tradit tenendam: reliqui Fratres ad Chorum ingrediuntur, & reliqui duo Ministri, quorum unus arundinem, alter quinque grana incensi defert, stant ex latere Evangelij in plano, eandem servantes lineam; ità tamen ut latera, non terga vertant Altari. *Vinit: tit: 14. n. 9. Corsetti c. 9. n. 6.*

VI. Deinde Diaconus Missale ex pulpito accipiens, vadit ad Celebrantem in medio Altaris, propè cornu Epistolæ: & omisso, *Munda cor meum*, petit ab ipso benedictionem genuflexus dicens: *Jube Domne benedicere*; qui respondet: *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, ut dignè & competenter annunties sicum Paschale Præconium, In nomine Patris & Fi † lij & Spiritus Sancti. Amen.* Quod dum dicit, format crucem, & ponit manum super librum; quam Diaconus osculans, factâ in medio cruci genuflexione, redit ad pulpitum, superponit librum, aperit, & juxta morem trino ductu incensat; absque eo, quod à Celebrante novum thus in thuribulum cum benedic-

Digitized by Google

nedictione reponatur. *Lohner hoc loco. n. 6. lit. O.* Ubi tamen incensum in principio Processionis impositum, jam evaporasset, posset Thuriferarius unum vel alterum cochlear injicere. Tum Diaconus thuribulo reddito, medius inter Ministros, Cruciferarium habens à dextris, & Thuriferarium à sinistris, & reliquos Ministros in eadem linea, qui librum Evangelij respiciunt, nec librum nec seipsum signans, incipit Paschale Præconium; sub quo Celebrans stat facie ad Diaconum conversus: Fratres verò omnes in Choro stent. Diaconus cantum prosequens, ea omnia peragat, prout in Rubricis notatum est. Infixurus grana, accedit Cereum cum Acolytho grana deferente, & omnia hoc ordine infigit. Primum in superiori parte: secundum in medio: tertium in infimo: quartum à dextris: quintum à sinistris. Cereum Paschalem accendit, unâ ex tribus candelis in arundine positis: Lampades autem Ecclesiæ reaccenduntur, vel ab una ex arundine, vel à Cereo. Sede vacante, preces pro Pontifice, & Romanorum Imperatore omittuntur; nec fit expressa mentio alterius Principis inconsultâ sede Apostolicâ. Completâ Cerei benedictione, vadit Diaconus cum libro ad medium Altaris, & ibi factâ cruci reverentiâ, redit ad Sacristiam; ubi exuitur stolâ & manipulo albis, induitur violaceis, & revertitur ad Celebrantem; qui & ipse in cornu Epistolæ, Casula & manipulo violaceis à sacristano allatis, induitur. Interea crux à Cruciferario ad suum locum reponitur: arundo verò suo pedi ad latus Evangelij infigitur, quæ cum cereo non extingvitur, nisi ad finem sacri.

VII. Post hæc leguntur in Choro Prophetiæ, in fine cum inflexione vocis terminandæ: éstque apud nos consvetudine receptum, ut primæ à Senioribus legantur, quibus succedunt Iuniores, & si deficiat numerus Lectorum, incipiunt iterum seniores; congruit autem, ut ultimam legat Sacerdos, & quidem Senior, ut praxis docet. Celebrans ipsas legit submissè ad cornu Epistolæ: à Diacono dicitur *Flectamus genua:* ab Acolytho: *Levate*, ritu supra notato; Fratribus omnibus in Choro genuflectentibus & surgentibus.

Digitized by Google

Ora-

Orationes dicit Celebrans manibus extensis, & tũ stet Diacon⁹ post Celebrantem, post Diaconũ Acolythus. Ad finẽ ultimæ Prophetiæ dictâ oratione, Celebrans deponit Casulam, & cum Ministris ante Altare se prosternit; statímque cantentur à duobus Collectarijs Litaniæ, in medio Chori ante Legile genuflexis, & Missale in sede ante se habentibus, qui totum canunt: V: g; *Pater de cœlis Deus Miserere nobis*: & sic consequenter: quæ omnia Chorus genuflexus cantando resumit. Ubi pervenerint ad *Peccatores*: Celebrans surgit cum Ministris, redit ad Sacristiam, ibique induitur paramentis albis. Interim accenduntur candelæ in Altari, quæ debent esse de cera alba: Antipendium violaceum ab Altari removetur. Diaconus suo functus officio Paramentis exuitur, & Sacerdos paratus cum solo Ministrante in superpelliceo ad Altare procedit. Cantores verò Litanias finiunt usque ad *Kyrie eleyson*, exclusivè.

VIII. Dum Sacerdos ad Altare egressus inceperit incensationem, Senior in Choro clarè & solemniter incipit *Kyrie eleyson*: quod lentè cum intermedijs pausis, Chorus alternatim prosequitur. Finitâ more solito incensatione Altaris, Sacerdos solemniter, ad modum tamen Capucinorum, incipit; *Gloria in excelsis Deo*: Quod Chorus altern⁹ tardè prosequitur, & unâ simul omnia tintinnabula ad Chorum comportata pulsantur, in signum lætitiæ; & itidem major compana, nisi nondum in Cathedrali, aut Matrice Ecclesia, quo nomine etiam intelligitur parochialis, esset pulsatum: quo casu ex Decreto S: R: C: 21. Martij 1609. cum campana majore expectandum esset, donec in digniore Ecclesia pulsetur. *Ita Rituale Ord. Gavantus, Vinitor & Lohner.*

IX. Finitâ Epistolâ (quam, sicut etiam Evangelium, aliaque omnia, in Missa solemni clarè cantari solita, hodie canit, ad modum tamen uniformẽ Capucinorum. Sacerdos in eodem cornu Epistolæ stans, altâ & gravi voce solemniter canit: *Alleluia*: omnibus Fratribus in Choro stantibus; qui illud in eodem tono repetunt. Intonat deinde Sacerdos altiùs *Alleluia*: quod idem Chorus facit. Tertiâ tandem vice adhuc magis vocem intendit; eodem tono Chorus

Digitized by Google

rus repetit, qui ſtatim ſubnectit verſũ: *Confitemini*, & Tractũ: quem Celebrans ſubmiſſè dicit. Deinde vadit ad medium, & dicit inclinatus: *Munda cor meum:* Ad cornu Epiſtolæ regreſſus imponit thus, canit Evangelium, & incenſat ut moris eſt. Poſt Evangelium non dicitur Credo, nec Offertorium, ſed dicto clarè, *Dominus vobiſcum. Oremus*: reliqua fiunt ut aliàs. Ad *Lavabo* etiam dicitur *Gloria Patri. Sanctus*, in Choro canitur alternatim. Pax non datur, nec dicitur Agnus Dei, nec Poſtcommunio.

X. Sumptâ purificatione à Celebrante, Senior in Choro intonet Antiphonam: *Alleluia*, quam Chorus proſequitur, ſubdens Pſalmum: *Laudate Dominum omnes gentes.* Quæ Celebrans ſumpta ablutione, & calice ritè compoſito, in cornu Epiſtolæ ſecretò dicit: tandem clarè intonat: *Veſpere autem Sabbati*: quam Chorus ſtans proſequitur, & ſtatim ſubjungit, *Magnificat*, ipſe verò Celebrans Antiphonam reliquam & Magnificat ſubmiſſè dicit. Repetitâ à Choro Añâ Celebrans oſculato in medio Altari, ſe ad populum vertens, clarè cantet: *Dominus vobiſcum*, & poſtea in cornu Epiſtolæ orationem, & in medio Altaris prævio, *Dominus vobiſcum, Ite Miſſa eſt, Alleluia, Alleluia* Choro ad omnia reſpondente; & ſic cum Miſſa finiuntur quoq; Veſperæ. Quod ſi quis Veſperas extra Chorũ dicat, præmittat, *Pater noſter*, *Ave Maria*, & omnibus omiſſis abſolutè incipiat Añam: Alleluia, cum Pſalmo *Laudate Dominum omnes gentes*; & repetitâ Añâ ſubjungat *Magnificat*, & reliqua abſolvat. Loco, Ite Miſſa eſt, dicat, *Benedicamus Domino Alleluja Alleluja*, ſinè, *Fidelium animæ*: ultimô loco tantum dicitur, *Pater noſter*, ut in poſtrema Breviarij recognitione firmatum invenitur *Gavant. in Rubr. Brev. Sect. 6. c. 13. n. 26.*

XI. Finitis Veſperis arundo cum tribus candelis amoveatur, nec ampliùs ultra Veſperas Sabbati ſancti ardere debet. Cereus verò ex Decreto S: R: C: 19. Maij 1607 debet accendi ad Miſſas & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in ſabbato in Albis & Dominicis, úſque ad Aſcenſionem. In alijs diebus ſervanda eſt locorum conſvetudo; quæ apud nos eſt, ut quotidie ad *Benedictus* in Matutino,

ad

Digitized by Google

ad *Evangelium*, in Missa Conventuali ad *Magnificat*, & ad *Nunc dimittis*, accendatur, & usque ad eorum finem ardeat. In Ascensione Domini accenditur ad Missam Conventualem, & post Evangelium extingvitur & asportatur. Quamvis secundùm Gavantum *p. 4. tit. 9. n. 43. & Lohner, p. 4. tit. 16. n. 19.* hâc die possint legi Missæ privatæ, præsertim si in Sabbatum sanctum cadat Festum Anuntiationis, idque fiat ex rationabili causa, & cum consensu Superioris, nostris tamen Sacerdotibus prohibitum est Missas privatas celebrare; & decens est, ut nos conformemus consvetudini universalis Ecclesiæ. Si tamen urgens aliquis casus id postularet, aut id fieret in loco secreto, & sinè scandalo, cum licentia Superioris, incipiat post sacrum solemne, præmisso Psalmo: *Judica*, & confessione, juxta morem, & post, *Oramus te Domine*, in medio Altaris dictum, statim subjungat, *Kyrie eleison*, & reliqua prosequatur prout in Missali, etiam cum Vesperis inclusivè usque ad finem. *Vinit. Lohner. loc. cit.* Missæ autem votivæ, vel pro Defunctis nullo modo hâc die dici debent; quia est contrà intentionem Ecclesiæ *Vinitor. p. 6. tit. 17. n. 18.* quanquàm id Gobat apud Lohner, *p. 4. tit. 16. n. 19.* çensеat tutum ac probabile.

XII. Ad mensam fit benedictio & gratiarum actio, prout ordinatum in Rubricis Benedictionum Mensæ; ad finem tamen gratiarum actionis, nec dicitur *Salve Regina*, nec *Regina cæli*. Sed post *Deus det nobis suam pacem*, omissâ Antiphonâ, statim dicatur: *Laus Deo*. Completorium pulsatur horâ quartâ, & persolvitur juxta præscriptum Breviarij. In fine dicitur Antiphona: *Regina cæli*, ad quam sicut & pulsum, *Ave Maria*, non flectitur toto tempore Paschali; ad finem tamen osculum terræ infigitur, juxta morem Religionis.

XIII. In Missa nec communio Cleri (nisi fieret ordinatio) nec populi facienda est; est enim Missa noctis, non diei. Quòd si urgeret necessitas communicandi populum pro Paschate, non debet fieri citiùs, nisi post Missam peractam, *Vinitor hoc loco.*

Digitized by Google

XIV. Meminetint Sacriſtani, renovandum eſſe ſacrum Oleum pro infirmis, vetere combuſto, ac cineribus intra ſacrarium projectis, nè ægrotus eodem contra leges Eccleſiæ inungatur.

RESURRECTIO.

XV. Pro Reſurrectione paretur in Sacriſtia Crux haſtilis, pro Superiore & Diacono duplex humerale, alba & ſtola coloris albi, velum album, pro humeris Sacerdotis, pro Thuriferario ſuperpelliceum cum thuribulo, & navicula cum thure. In Choro adſint candelæ ſufficientes pro Fratribus, ſi poſſibile omnes albæ. Tobale ſuperiùs ſit in majori altari revolutum, in cujus medio ponatur Corporale explicatum. Mediâ octavâ detur campanâ ſignum prolixum, alterum tertio quadrante; quô audito omnes Fratres ad Chorum confluant: inter quos candelæ accenſæ diſtribuantur, diſtributis etiam quibuſdam inter digniores ſæculares, ſi qui adſint, per aliquem à Superiore deputatum: deinde ſex candelæ ceræ albæ in majori Altari accendantur, itidem duæ in majoribus duobus candelabris. Tandem horâ octavâ Superiore cum Miniſtris induto, pulſetur tertium ſignum, & fit Proceſſio ad Sepulchrum. Præcedit Cruciferarius, medius inter duos ceroferarios, accipientes extima candelabra ab Altari: ſequuntur Fratres bini & bini, dextri in dextra, ſiniſtri in ſiniſtra candelam accenſam, vacantem verò manum ſuper pectus tenentes. Ultimò ſequatur Diaconus cum velo albo oblongo, & Sacerdos, omnes in ſilentio. Poſtquam ad Sepulchrum pervenerint, Juniores propè Crucem, Seniores propè celebrantem, omnes genuflectant, præter Cruciferarium, & Ceroferarios. Sacerdos verò in medio Diaconi à dextris & Thuriferarij à ſiniſtris genuflexus, Sacramentum aliquamdiu adorat, deinde ſurgens imponit thus in thuribulum, genuflectit, & incenſat. Veſtitur in humeris velo albo, & à Diacono ſibi genuflexo Monſtrantia adfertur; & extremitatibus veli ſuper radios Monſtrantiæ æqualiter applicatis à Diacono, ſurgit,

Digitized by Google

git, & ad populum verſus incipit cantum: **Chriſt iſt erſtanden:** quem Fratres inter ſonitus tintinnabuli, proſequuntur. Redit Proceſſio ad Altare majus cum Venerabili, quod à Diacono genuflexo per vices incenſatur. Ubi ad Altare pervenerint, ceſſat pulſus cum tribus ictibus, & repoſitis ad Altare candelabris, omnes, excepto Cruciferario, in gyrum Altaris genuflexi germanicum Cantum unum vel alterum decantant. Sacerdos verò in ſecundo gradu ſtans poſt extremitates veli priùs à radijs ſolutas, Diacono genuflexo in ſuppedaneo tradit Venerabile, quod ipſe ſurgens, ad Altare reponit cum genuflexione; Sacerdote velum uſque poſt incenſum ſervante *Gavant. Vinit. Corſetti hic.* Finito cantu Celebrans ſurgit, & cantat ſequentem Verſum & Orationem,

℣. In Reſurrectione tua Chriſte, Alleluja.

℟. Cælum & terra lætentur, Alleluja.

℣. Domine exaudi, &c. Dominus vobiſcum. *Oremus.*

DEus qui hanc ſacratiſſimam noctem gloriâ Dominicæ Reſurrectionis illuſtras: conſerva in nobis adoptionis ſpiritum, quem dediſti, ut corpore & mente renovati, puram tibi exhibeamus ſervitutem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, ℟. Amen.

Hic imponit incenſum in thuribulum, & ter incenſato Sacramento, accipit illud in manus & cantat verſus populum:

Tantum ergo Sacramentum, *Choro proſequente,* veneremur cernui, &c. Genitori, &c.

& data benedictione, reincenſat, & Diaconus illud intrà Tabernaculum recondit. Fratres extingvunt candelas, vadunt ad Chorum, & Superior depoſitis paramentis, Matutinum inchoat. Diaconus verò cum Sacriſtano, habente manu unâ tintinnabulum, alterâ candelam accenſam, cum ſolitis cæremonijs reportat Ciborium ad Tabernaculum ſub iterato tintinnabuli pulſu.

Digitized by Google

Finitô Matutinô, vel tollitur ex integro sepulchrum, vel facies exterior cooperitur, aut Angelus applicatur cum inscriptione: Christum resurrexisse à mortuis.

CAPUT XVI.

De Dominica Resurrectionis, & tempore Paschali.

HÆc est dies quam fecit Dominus, ut exultemus & lætemur in ea, Deóque gratias agamus, quod pro nobis Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipso igitur surgente à mortuis, & nos oportet à somno surgere, juxta illud Apostoli: *Surge, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* & si cum Christo surrexerimus, quæ sursum sunt, quæramus, non quæ super terram.

II. A Dominica Resurrectionis manè horâ quintâ excitatur: primo quadrante ad sextam pulsatur ad Primam: ad Martyrologium dantur tres ictus cum campana, pro Fratribus Laicis ad Litanias convocandis: subjunguntur Litaniæ Omnium Sanctorum, & demum Oratio mentalis, idque usque ad Festum Nativitatis B. V. M. Potest tamen in majoribus Conventibus, & ubi est confluxus populi ad audiendum manè sacrum, continuari Oratio mentalis matutina, usque ad Dominicam post Festum S. P. N. Francisci.

III. Ab hac die sancta, per omnes Dominicas tempore Paschali occurrentes, ad aspersionem aquæ benedictæ, ante Missam Conventualem cantatur: *Vidi aquam.* Ad Vers. *Ostende nobis.* additur *Alleluja*: quod idem fit à Choro respondente. *Rubr. Missal.*

IV. Hac die nulli Sæcularium in nostris Ecclesijs debet ministrari Eucharistiæ Sacramentũ, ità *Bulla Pij V. quæ incipit: Etsi mendicantium.* nisi id fiat cum expresso, vel saltèm tacito consensu Ordinarij. *Gobat. tr. 4. n. 69.* Erit autem tacitus consensus, si sic fert consvetudo loci, ob multitudinem fidelium, ut etiam hâc die à Regularibus administretur communio Paschalis: & Ordinarius illam sciat, nec contradicat. Tutiùs tamen erit ante Pascha mentem ejus-

Digitized by Google

ejuſdem, ad evitandas diſcordias, explorare.

V. Eſt antiqua fidelium traditio, ut hâc & ſequentibus duobus diebus, primò omnium comedantur benedicta: qui mos etiam apud nos ſervatur. Unde Sacerdos à Superiore deputatus Agnum Paſchalem, carnem aſſatam, panem, ova, aliáque tam à coquo, quàm à ſæcularibus allata, ſequentibus Benedictionibus benedicat. Et quidem noſtra ſeparatim; at ſæcularium carnes in mundo cubiculo juxta portam, ubi ſternatur menſa linteo, ponatur Crucifixus inter duo candelabra cũ cereis accenſis: & Sacerdos ſuperpelliceo, & ſtolâ albâ indutus, aſſiſtẽte Clerico, benedicat cibos, ut ſequitur:

Benedictio Agni Paſchalis.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini,
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Hæc eſt dies quam fecit Dominus, Alleluja.
Reſp. Exultemus & lætemur in ea, Alleluja.
Verſ. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, Alleluja.
Reſp. Itáq; exulemur in azimis ſinceritatis & veritatis, Allel.
Verſ. Domine exaudi. *Reſp.* Et clamor meus, &c.
Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui per Moyſen Famulum tuum in liberatione populi tui de Ægypto, Agnum occidi juſſiſti, in ſimilitudinem Domini noſtri JESU Chriſti; & utroſque poſtes domorum de ſangvine ejuſdem Agni perungi præcepiſti: ità bene ✠ dicere, & ſan ✠ ctificare digneris hanc creaturam carnis, quam (nos) famuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus (*vel*, deſiderant) per Reſurrectionem

Digitized by Google

ejusdem Domini nostri JESU Christi, qui tecum vivit & regnat,&c. *& mox aspergat aqua benedicta.*

Benedictio quarumcunque carnium.

Vers. Adjutorium nostrum,&c. *Vers.* Dominus vobisc.&c.

Oremus.

DOmine JESU Christe Fili DEI vivi, qui es verus & immaculatus Agnus, in cruce pro nobis immolatus: has carnes, quas ad victum humani generis creasti, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris - ut omnes ex ijs sumentes, tuis benedictionibus repleantur, atque animæ corporísque sanitatem, te annuente, accepisse lætentur. Qui vivis & regnas, &c. *Oremus.*

DEUS universæ carnis, qui Noë & Filijs ejus de mundis & immundis animalibus præcepta dedisti: quique quadrupedia & volatilia munda, sicut olera herbarum manducare permisisti. Deus qui Moysi & populo tuo, in vigilia Paschæ Agnum comedere præcepisti; in figuram Agni Domini nostri JESU Christi: cujus sangvine omnia primogenita tibi de mundo redemisti: & per Angelum in nocte illa,omne primogenitum in Ægypto percutere præcepisti; servans populum tuum Agni sangvine prænotatum. Dignare quæsumus, Domine Deus omnipotens; bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare has carnes; ut quicunque de tuis fidelibus populis ex ijs comederint, omni benedictione cœlesti,& tua perenni gratia repleantur. Per eundē Dominū nostrum Jesum Christum,&c. *Aspergantur.*

Bene-

Digitized by Google

Benedictio Ovorum.

Verſ. Adjutorium noſtrum,&c. *Verſ.* Dominus vobiſc.&c.

Oremus.

SUbveniat,quæſumus Domine, tuæ bene✠dictionis gratia huic Ovorum creaturæ; ut cibus ſalutaris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actionē ſumentibus, ob Reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit.

Benedictio Panis.

Verſ. Adjutorium noſtrum,&c. *Verſ.* Dominus vobiſc. &c.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte panis Angelorum, panis vivus vitæ æternæ, bene✠dicere dignare panem iſtum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut omnes ex eo guſtantes, inde corporis, & animæ percipiant ſanitatem. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Oremus.

DOmine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere digneris hunc panem tua ſancta ſpirituali benedictione; ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & univerſas inimicorum inſidias tutamen. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, panem vivum,qui de cœlo deſcendit, & dat vitam & ſalutem mundo; & tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum: *Reſp.* Amen.

Demum

Digitized by Google

Demum omnia simul aspergendo, dicat:

BEnedicantur & sanctificentur cibi isti, in nomine Patris ✠ & Filij & Spiritus sancti, Amen.

VI. *Post refectionem diligenter attendatur, ut carnium benedictarum ossa, & ovorum testa, non sparsim projiciantur, sed ob reverentiam Benedictionis, in scutella quadam colligantur, & in igne exurantur.*

VII. Cum infra octavam Paschæ ad Laudes & Vesperas addatur duplex *Alleluja*, ad *Benedicamus*: idcircò Hebdomadarius, ad evitandas confusiones, illud paulò altiùs uno tractu cantet. Figura Resurrectionis Dominicæ, manet supra Tabernaculum, usque ad Festum Ascensionis exclusivè.

VIII. Si festum S. Marci occurrat in die Paschæ, transfertur Processio in Feriam tertiam sequentem: *Ex Decreto S. R.C. 25. Sept. 1627.* Et tunc Processio & Missa fit in paramentis violaceis, & dicenda duplex Missa; una Rogationum, post Primam & Litanias decantatas, sinè commemoratione Paschæ, sinè *Gloria* & *Credo*, tametsi dicenda sit Præfatio Paschatis ferialis, cum Communicantes. Altera post Sextam, de Feria tertia Paschatis, quæ sit Conventualis cum incenso, sinè commemoratione Feriæ Rogationum. In privatis tamen Missis, debet fieri commemoratio Rogationum.

CAPUT XVII.

De Litanijs Majoribus & Minoribus.

LItaniæ, seu Rogationes, quæ in festo S. Marci dicuntur, Majores vocitantur, quia institutæ sunt à S. Gregorio Magno, Summo Pontifice: quæ verò in Festis Rogationum decantantur, appellantur Minores, quia originem habent à S. Mamerto Episcopo Viennensi in Gallijs, qui respectu S. Gregorij fuit Episcopus Minor, *Gavant. p. 4. tit. 11. n. 11.* Fiunt autem ob peccata, pestem, pacem, conservationem frugum, aliásque necessitates, de quibus Ordo Romanus. Ri-

Digitized by Google

II. Ritus his diebus apud nos ſervari ſolitus, eſt ſequens: Manè in Prima, ſub Pſalmo *Retribue*, pulſatur Miſſa: ad Martyrologium dantur viginti ictus, quibus omnes Fratres ad Litanias & Proceſſionem convocentur. Superior, vel ipſo impedito, Vicarius, tempeſtivè Sacriſtiam ingreſſus, induitur paramentis, & ſtolâ violaceâ ante pectus in modum crucis tranſversâ, & accepto Calice cum primo Acolytho, Miſſale & Rituale Rom: vel alium librum, Litanias continentem deferente, vadit ad Altare, in quo priùs à Sacriſtano quatuor candelæ accendantur. Sequitur Acolythus ſecundus, quorum uterque habeat Breviarium, vel alium libellum, è quo Litanias omnium Sanctorum decantent. Interea in Choro canitur

Antiphona ante Litanias.

EXurge Domine adjuvà nos, & libera nos propter Nomen tuum. Alleluja. Deus, auribus noſtris audivimus: Patres noſtri annuntiaverunt nobis. Gloria Patri. Sicut erat. Exurge Domine adjuva nos, & libera nos propter Nomen tuum. Alleluja.

III. Sacerdos verò, Calice de more præparato, libróque aperto, ad medium reverſus, factâ cruci reverentia capitis inclinatione deſcendit, & in ſecundo gradu genuflectit, medius inter duos Acolythos, in infimo aſſere genuflectentes, quorum dexter Rituale Rom: vel alium librum ut ſupra, ei porrigit. Finitâ Antiph: omnes tres ſimul incipiunt: *Kyrie eleyſon.* poſt *S. Maria, ora pro nobis*: omnes ſurgunt, & vadunt proceſſionaliter. Præcedit Cruciferarius, qui eſt ſenior Laicus, vel Circator, inter duo candelabra cum candelis accenſis; quæ à duobus Junioribus Laicis ex majori Altari accepta deferuntur. Sequuntur omnes bini & bini, primò Juniores, deinde Seniores: poſt omnes duo Acolythi, ultimò Sacerdos.

Digitized by Google

IV. Ducitur Processio ex Choro per Monasterium ad hortum, facto per vias circumflexu tandem reversa, egreditur per portam Monasterij, & gyro parvo ante Ecclesiam facto, illam ingreditur; hâc cum observatione, ut Litaniæ citiùs non absolvantur, donec ad Altare reversi fuerint. Si verò ob longiorem circuitum citiùs finirentur, deberent ante *Agnus Dei*, repeti versus: *Ut Ecclesiam tuam sanctam.* usque ad *Agnus Dei.* Dum Processio ad Altare reversa fuerit, Sacerdos inter duos Acolythos genuflexus, dicto post Kyrie eleison clarè *Pater noster*, secretò: deinde, *Et nè nos inducas.* cum Acolythis incipit Psalmum: *Deus in Adjutorium.* cujus versiculos cum Choro alternatim decantat; quô finitô solus prosequitur preces: *Salvos fac servos tuos.* Choro ad omnia respondente. Interim Acolythi ingrediuntur, & primus quidem ad Sacristiam pro casula & manipulo violaceis, & competenter plicatis, quæ Sacerdoti ad finem orationum defert. Sacerdos verò finitis precibus subjungit Orationes, quas stando persolvit. *Vinit. tit. 20. n. 11.*

V. Litaniæ tam in Festo S. Marci, quàm in Ferijs Rogationum juxta Breviarium præcisè cantandæ sunt, sinè additione Sanctorum Ordinis, aut aliorum Sanctorum inibi non expressorum. *Ex Decreto S. R. C. 22. Martij 1631. Corsetti c. 10. n. 5.* Nec orationibus attexenda est oratio pro Imperatore; sunt enim his diebus Litaniæ pars Officij Divini, cui juxta Bullam B. Pij V. nihil addi, vel demi debet. Caveant autem, nè sub Litanijs fabulentur, cum enim his diebus sint pars Officij Divini, noverint se esse obligatos, ut illas attentè & devotè decantent. Qui absentes fuerint, & ad Officium Divinum obligantur, tenentur eas persolvere extra Chorum: & quidem, si illas post Laudes, vel aliam etiam Horam minorem persolvant, illas absolutè sinè præmisso: *Nè reminiscaris*, statim post *Benedicamus Domino*, omissis, *Fidelium animæ*, & Antiph. *Regina cœli*, exordiantur. *Vinit. loc. cit.*

VI. Festum S. Marci, quacunque demum die occurrat, & ta-

metsi

Digitized by Google

metsi Festum cum ipsius Missa transferri oporteat, nunquam tamen transfertur Processio, solo die Paschatis excepto. In Missa Rogationum, sive Majorum, sive Minorum, quæ post Litanias habetur, semper dicuntur tres Orationes, sinè commemoratione cujuscunque Festi occurrentis, sinè Gloria & Credo; Præfatio Paschalis de tempore. *Vinit. hic n. 1.*

VII. Feriâ tertiâ Rogationum in Missis privatis (aliter die de Missâ Conventuali) si fiat Officium de Festo novem lectionum, in illius Missa fit commemoratio Rogationum.

DE VIGILIA ASCENSIONIS.

VIgilia Ascensionis Domini, habet Missam propriam; quòd si eo die occurrat Festum simplex, secunda Oratio erit de Festo simplici, tertia Rogationum: duobus autem diebus posterioribus Rogationum, Festum simplex non cedit Rogationibus, ità *Gavant. p. 4. tit. 11. n. 14.*

VIII. Si verò hâc die celebretur Festum novem lectionum, prout apud nos ex concessione Pontif. dicendi Officium S. Patris, S. Antonij, S. Bonaventuræ, S. Claræ, contingit, congruit ut tres Missæ dicantur. Prima de Rogationibus, post Primam, colore violaceo. Secunda de Festo, post Tertiam, colore officio conveniente. Tertia de Vigilia, post Nonam, colore albo. In unaquaque harum, secunda oratio erit de B. Virgine. Tertia Ecclesiæ vel pro Papa. *Vinit. tit. 22. n. 2. Corsetti c. 9. n. 11.* Nec enim in una debet fieri commemoratio alterius. Si autem incidat Festum simplex, vel dies infra octavam, eorum commemorationes, fiunt in Missa de Festo, & non in Missa de Rogationibus, aut Vigilia. In Missis privatis extra Conventualem, Missa erit de Festo, cum commemoratione Vigiliæ & Rogationum. Si sit dies infra Octavam, & etiam simplex, prima commemoratio erit de die infra octavam, secunda de vigilia, tertia de simplici, quarta de Rogationibus.

Digitized by Google

IX. In Festo Ascensionis Domini extingvitur Cereus Paschalis ad Evangelium Missæ Conventualis, post verba : *Assumptus est in cælum.* Ad repræsentandum Christi discessum ab Apostolis; *Vinit. loc. cit. n. 3.* nec ampliùs apud nos accenditur, nisi quando contingunt tonitrua ; tum enim à Sacristano accendi solet: nec debet permitti, ut à Sacristano vel Fratribus comminuatur pro faciendis Agnis Dei.

X. A Festo Ascensionis exclusivè, incipit jejunium Spiritûs sancti, usque ad Festum Pentecostes exclusivè, nobis à Constitutionibus Generalibus præscriptum, ad imitationem Apostolorum, qui jejunantes & orantes, se pro adventu Spiritûs sancti Paracliti disposuerunt. Proinde Superior suos Fratres nervosè admonebit, ut pro septem donis Spiritus sancti condignè recipiendis, se hoc salutari jejunio condignè disponant, ut Spiritus sanctus eorum corda flammis cœlestibus succendat.

XI. Si aliquod Festum per Octavam Ascensionis incidat, habens octavam, & eâ nondum finitâ propter Vigiliam Pentecostes abrumpi debeat, Feriâ sextâ, post Octavam Ascensionis finitur illud Festum cum sua Octava ad Nonam, nec ampliùs ad Vesperas sequentes fit commemoratio de Octava. *Vinit. loc. cit. n. 4.*

CAPUT XVIII.

De Vigilia & Festo Pentecostes.

SPiritus sanctus Consolator optimus, omnibus in hac lachrymarum valle existentibus sua munera dividit, qui se dignos reddunt; in eos verò uberiùs suam gratiam diffundit, qui se amplioris devotionis cultu, ad hanc solemnitatem disponunt. Unde superiorum localium erit, Fratres sibi subjectos monere, ut quæ in Sacristia, Altaribus, Choro, Ecclesia, Refectorio, & culina paranda, depulveranda, & lavanda sunt, junctis simul viribus, & labore communi emundentur; ut reliquum temporis, in interiori mentis ornatu, & præparando Spiritûs sancti habitaculo collocare queant,

Digitized by Google

ant, quò uberiùs septemplici Spiritus sancti munere consolentur.

II. Pro Vigilia & ipso Festo Pentecostes splendidiùs ornatur Altare, & in medio applicatur Figura Spiritus sancti, quæ tamen in Vigilia tecta manet, usque ad diem Pentecostes. Tobalia inverruntur, ut ima facies evadat Superior, & iterum aciculis sinè plicis expansa applicantur. Usque ad Nonam in Majori Altari sit color albus, sub Prophetijs usque ad finem Litaniarum color violaceus. sub Missa solemni verò color rubeus, *ità Gavant. p. 4. tit. 11. n. 19. Corsetti p. 2. c. 19. n. 12. Vinit. tit. 23. n. 2.* qui color rubeus etiam adhiberi debet in Missis privatis hujus diei: quia omnes dicuntur de Spiritu sancto: unde Missa, quæ post Tertiam dicitur, non albo colore de Octava, Officio conformiter; sed rubeo colore, de Vigilia dicenda est, quia hac die non est Conventualis illa, quæ post Sextam dicitur; tametsi pro Fratribus & Benefactoribus vivis & defunctis ex instituto nostræ Provinciæ applicari debeat; sed illa propriè, quæ post Nonam dicitur.

III. Mediâ decimâ dantur tres ictus pro Nona, & statim pulsetur primum signum pro Missa solemni usque ad medium primi psalmi: secundum signum pulsetur per totum secundum Psalmum cum viginti ictibus. Tertium signum seu ictus dentur circa finem tertij Psalmi. Interim Superior, qui, nisi rationabiliter impeditus, hanc functionem peragere debet, Sacristiam (in qua paramenta, tum violacea, tùm rubea, loco separato pro Celebrante parata sint) ingressus, induatur violaceis, & finitâ Nonâ, cum Ministro superpelliceo induto, & librum deferente ad Altare procedat sinè Calice, junctis ante pectus manibus, capite tectus.

IV. Ubi ad Altare pervenerit, faciens in infimo gradu reverentiam Cruci genicularem, ascendit ad Altare, osculatur illud in medio, & se ad cornu Epistolæ conferens, in Missali incipit legere Prophetias, quæ itidem in Choro leguntur, Nota hic omnes ritus in lectione Prophetiarum, (absq; tamen inflexione vocis,) de-

Digitized by Google

positione casulæ, prostratione, cantu Litaniarum in Choro, surrectione ad *Peccatores*, ingressu & regressu Sacerdotis, accensione candelarum ad finem Litaniarum, cantu solemni Missæ tam à celebrante, quàm à Choro, pulsu tintinnabulorū sub *Gloria in Excelsis* observari, qui observati sunt in Sabbato sancto, quæ hic repetere supervacaneum foret: præterquam quod hac die Ministerium Diaconi non adhibeatur, nec dicatur, *flectamus genua*, & Sacerdos in Sacristiam ingressus, induatur paramentis rubeis, & *Agnus Dei* dicatur. Reliqua dicenda vel omittenda, assignant Rubricæ Missalis.

V. In Festo Pentecostes, & per totam octavam ad primum versum hymni, *Veni Creator Spiritus*: omnes qui in Choro sunt, genuflectunt. Habet hoc Festum per totam Octavam propriam Benedictionem pro Mensa, videlicet: *Spiritus Domini replevit*. Attamen cum in Sabbato post Nonam terminetur tempus Paschale; idcircò Benedictio ad cænam erit: *Edent pauperes*: Gratiarum actio verò, *Memoriam*. Nec ad finem dicetur Antiphona *Regina cæli*: sed statim post, *Deus det nobis suam pacem*: dicatur, *Laus Deo*. sequenti die ad aspersionem aquæ benedictæ, dicatur: *Asperges me*.

CAPUT XIX.

De Festo Corporis Christi, & ejus Octava.

EUcharistia Sacramentum amoris est, quò Christus ex hoc mundo discessurus ad Patrem testatum reliquit, se suos usque in finem dilexisse, relinquendo ijs in cibum & potum proprium suum Corpus & Sangvinem. Sancta Mater Ecclesia, ut amorem amore compensaret, & pro tanto beneficio debitas gratiarum actiones persolveret, hanc solemnitatem, quam Urbanus IV. Anno 1262. instituit: & postea Eugenius IV. Anno 1433. confirmavit, cum maximo jubilo spirituali celebrat. Sequamur & nos ductum Sanctæ Matris Ecclesiæ, & hanc sanctam solemnitatem, amorem amo-

Digitized by Google

amore compensaturi, in lætitia cordis nostri, & operibus gratiarum actionis, per totam Octavam transigamus.

II. Altare majus à Sacristano ornetur Reliquiarijs, floribus, alióque apparatu pulchriore, qui talem deceat solemnitatem. In medio Altaris paretur Tabernaculum, seu Conopæum serico vestitum, ut moris pro expositione Venerabilis Sacramenti. Ipsa, Monstrantia detergatur à pulveribus, emundetur lunula, paramenta pulchriora albi coloris adhibeantur, thuribulum, cum navicula emundetur. Adsint quoque candelæ albæ sufficientes, quarum semper sex in candelabris, & duæ ex Monstrantiæ lateribus ardebant, quando Venerabile erit expositum: sit quoque paratum Corporale, quod Monstrantiæ in conopæo supponatur.

III. In Vigilia Corporis Christi, in qua abstinendum à carnibus, & vesperi solùm habenda collatio, ab Hebdomadario duæ consecrantur Hostiæ, quarum una reponitur ad Monstrantiam, ut sequenti die manè ad primam Missam, Venerabile exponi queat: quanquam etiam commodè ex multorum praxi, in eadem Missa prima duplex Hostia consecrari, post sumptionem unius, & sacri Sangvinis, altera ad Monstrantiam reponi, & ad finem Missæ cum incenso & Benedictione populi, in Conopæo altiori loco collocanda populi adorationi exponi queat. Vesperi verò in Vigilia post Completorium, nondum debet Venerabile exponi. *Ità Viniter p. 6. tit. 24. n. 2.*

IV. Per totam Octavam manè, & Vesperi apud nos exponitur Venerabile Sacramentum, in cujus expositione, & repositione pro accipienda Benedictione, Fratres omnes legitimè non impediti assiduè intersint. Manè exponitur horâ sextâ, ab illo qui lecturus est primum sacrum, in quem finem Sacristanus, clavem Tabernaculi tempestivè ostiolo infigat, paret thuribulum cum navicula thuris, Culinarius verò prunas adferat. Ritus autem expositionis est: celebrans ubi Altare accesserit, explicato corporali, Calice ad latus Evangelij extra corporale aliquantisper reposito,

Digitized by Google

posito, accedit ad cornu Epistolæ, aperit librum, inde ad medium rediens, aperit ostium Tabernaculi, & priùs genuflectens, adhibito, si opus, scabello, Monstrantiam extrahat eâ cautelâ, nè radijs, aut Superioritate cruculæ impingat: quâ super Corporale collocatâ, & Ciborio pro necessitate communicantium foris, substrato tamen corporali, post sericeum tegumentum accommodato, genuflexus, tergum ad latus Evangelij vertens, descendit ex suppedaneo ad proximum gradum, ubi in suppedaneo genuflectit profundè inclinatus, & aliquantulum Sacramentum adorans. Postea surgens imponit thus in thuribulum ex navicula sinè benedictione, aut admissione osculorum in manibus: nec ipsæ res debent osculari, quæ Sacerdoti traduntur: & iterum genuflectens accepto thuribulo, trino ductu incensat Sacramentum, ante & post profundè se inclinans. Reddito postea thuribulo, ascendit Altare, genuflectit, accipit Monstrantiam, dextrâ nodum, sinistrâ pedem tangens, absque eo, quod subtus habeat Corporale, ità tamen ut hostia sibi tergum vertat: impertitur autem Benedictionem populo nihil dicens, hoc modo: Monstrantiam cum sacra Hostia, usque ad oculos elevans, deinde infra pectus demittens, mox iterum attollens usque ad pectus, inde ad sinistrum humerum, postea ad dextrum ducens, & rursum ad pectus reducens, ac parumper sistens quasi omnibus præberet adorandam; tum gyrum seu circulum versùs Evangelium perficit, & Monstrantiam ad Conopæum super Corporale reponit: & iterum genuflexus ut ante, descendit, & secundò incensat. Post hæc in infimo gradu priùs genuflectit utroque genu, surgit & sacrum inchoat.

V. Manè reponitur post ultimam Missam, quæ ordinariè horâ decimâ sub Officio Divino solet celebrari, in qua ad *Agnus Dei* dantur campanâ quindecim aut viginti ictus, quibus Fratres convocentur, & tempestivè prunæ adferantur, fiúntque in ejus repositione eædem cæremoniæ, quæ pro expositione recensitæ sunt: Reposito Venerabili, reponatur quoque Ciborium, deinde

Digitized by Google

de auferatur ex Conopæo corporale, & singulis expositionibus exponatur, nè octiduò ibi remanens, totum fiat pulverulentum.

VI. Vesperi exponitur post primum signum ad Completorium pro quo in Altari sex candelabra in supertobali in forma perspectivi, cum intermedijs florum super asserculis vasculis, suppositâ tamen chartâ bibulâ, nè defluens cera damnum inferat tobali, collocentur. In Sacristia paretur mundum superpelliceum cum stola, & bursa alba cum corporali & Rituali, aut alio libro, orationes continente: adferantur quoque tempestivè prunæ à Culinario: accensis candelis, & bursa cum corporali, & clave Tabernaculi super Altare à Sacristano positis. Sacerdos debet esse Hebdomadarius, nisi id præstet Superior (quod saltèm in Festo, & die octava eum facere decet) junctis manibus egreditur, & Venerabile exponit ut supra; corporali priùs è bursa super Tobale explicato, & altero ad Conopæum reposito. Peractâ expositione ad Sacristiam regressus exuitur, pulsatur secundùm signum pro Completorio, ad cujus finem non cantantur Litaniæ B. V. sed reservantur ad finem Orationis mentalis, quæ tunc ante Venerabile à Fratribus genuflexis, peragitur. Lapso in clepsydra tertio quadrante, dantur quindecim vel viginti ictus campanâ pro Benedictione. Tum Sacerdos superpelliceo, & stolâ albi coloris indutus, duobus Acolythis, quorum unus librum orationum defert, præcedentibus, ipse junctis ante pectus manibus sequitur, & ante Altare in secundo gradu, ut apud nos moris est genuflexus, inter duos Acolythos in infimo assere flectentes, una cum ipsis more Capucinico clarè inchoat Litanias de B. Virgine, quibus subjungitur Antiphona: *Sub tuum præsidium* absque *Alleluja*. Deinde porrecto sibi libro dicit Versiculos sequentes:

Vers. Panem de cœlo præstitisti eis. Alleluja.

Resp. Omne delectamentum in se habentem, Alleluja.

Vers. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

Digitized by Google

Resp. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
Vers. Signasti Domine servum tuum Franciscum.
Resp. Signis redemptionis nostræ.
Vers. Domine exaudi. *Resp.* Et clamor meus,&c.

Tum surgens & stans dicit:

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ità nos Corporis & Sangvinis tui sacra mysteria venerari: ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere.

Deus Regnorum omnium, & Christiani maximè protector Imperij: da servo tuo Imperatori nostro N. triumphum virtutis tuæ scienter excolere: ut qui tua institutione est Princeps, tuo sit semper munere potens. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Divinum auxilium,&c. *Resp.* Amen.

VII. Sub ultima Oratione affertur thuribulum cum prunis & navi-

Digitized by Google

navicula sibi à secundo Acolytho ministrata, imponit sinè benedictione thus in thuribulum sibi à primo Acolytho ministratum: tum accipit thuribulum, incensat, ascendit, accipit Monstrantiam, ut supra: ut facies Hostiæ populum respiciat, & incipit clarè: *Tantum ergo Sacramentum*: prosequuntur Rythmum Fratres, ipse autem clarè non concinit, sed reliquum tantùm submissè dicit. Posteà clarè subjungit: *Genitori, Genitóque*: dúmque Chorus canit: *sit & Benedictio*: dat Benedictionem ut suprà nihil dicens; nec Fratres debent manu seipsos signare, quia Christus ipsos benedicit. Post Benedictionem Sacerdos circulum perficiens Monstrantiam ad corporale reponit: descendit, ter cum consvetis inclinationibus supra assignatis incensat; & Monstrantiam ad Tabernaculum reponit. Demum ad Sacristiam regreditur, candelæ extingvuntur, & Fratres post tres ictus campanæ auditos, in silentio cum reverentia Altaris & osculo terræ, discedunt.

VIII. Sacerdos coram Venerabili lecturus sacrum, in egressu per portam Altaris, caput discooperit, in medio Altaris utroque genu genuflectit profundè inclinatus: ad medium Altaris ascendens, accedens, vel recedens, aut in planum descendens semper priùs in medio unico tantùm genu genuflectit; ad *Dominꝰ vobiscū*: *Orate Fratres*; post osculum Altaris factâ genuflexione se ad populum vertens, retrahit se ad cornu Evangelij: nec perficit circulum, nè tergum vertat Sacramento, sed redit ad medium Altaris, vel librum, factâ iterum genuflexione in medio. Si insuper in Missa datur incensum, illud quidem Sacerdos more consveto benedicit, attamen oscula manûs in rerum porrectione non admittit, ob præsentiam Venerabilis Sacramenti. Loco crucis, quæ tunc non debet adesse, incensat Venerabile, utroque genu in Altaris supremo gradu, seu suppedaneo genuflexus, ante & post profundè se inclinans. In oblatorum incensatione ante non genuflectit, bene, autem post; & eâ peractâ descendit, & in suppedaneo, ut antea, flexus utroque genu, Venerabile trino ductu incensat

Digitized by Google

censat: deinde surgens reliqua incensat ut moris est. In fine Sacerdos incensatur, quod debet fieri in plano in cornu Epistolæ, ubi etiam deberet fieri lotio manuum. Verùm apud nos non est in usu, unde monet Lohner, quando Sacerdos stans in suppedaneo lavat manus (idem dic quando incensatur) ut attendat, nè tergum Venerabili obvertat, sed potius nonnihil ad latus se vertens Altare respiciat: pariter Sacerdos in dispensatione sacræ Communionis cavere debet, nè tergum vertat Sacramento, sed tantùm latus, quod idem præstet Minister. In benedictione populi, dicto, *Omnipotens Deus*: genuflectit, & in latere Evangelij benedicit, non perficiens circulum, sed statim omissâ alterâ genuflexione ad latus Evangelij conversus, signat librum aut tabellam; si autem non adsunt; se ipsum solum non tamen Altare, ità *Gavant. p. 2. tit. 14. n. 15. & p. 4. tit. 8. n. 8. Vinit. p. 4. tit. 4. n. 18 Corsetti p. 1. c. 15. n. 12. Lohner p. 4. tit. 1. n. 6.* Ad *Verbum caro factum est*, versùs Sacramentum genuflectit. Accepto Calice prævià reverentiâ geniculari, descendens in ultimo gradu utroq; genu genuflectit, profundè se inclinans, nec tegit caput nisi portam Altaris ingressus.

IX. Solent in ipso Festo, & per totam Octavam cum Venerabili, solemnes per civitatem Processiones haberi: quapropter Superior loci, tempore quo Processio inchoanda erit, ritè explorato, Divinum Officium ac Missas pro sua prudentia ità disponat, ut omnibus maturè absolutis ad Ecclesiam unde Processio exibit, tempestivè conveniant: indecorum enim esset, si post inchoatam Processionem, nobis post illam festinandum esset. Ubi ergo mediâ octavâ, aut horâ octavâ esset comparendum, curet Superior excitari mediâ quintâ, post quadrantem, dictâ submissè Primâ, in primo Sacro exponatur Venerabile, & factâ, si possibile, per tempusculum oratione mentali, dicatur submissè, Tertia & Sexta. Deinde fit Missa Conventualis, quam in ipso festo celebret Superior cum incenso: reliqui Sacerdotes legant in Altaribus lateralibus, & horum

Digitized by Google

& horum unus vel alter in Ecclesia, ad quam eundum esset. Post Conventualem legitur adhuc una Missa, in cujus fine Venerabile prævia benedictione ad Tabernaculum reponitur, & audito signo Fratres ad Processionem se accingant; qualiter autem in illa se gerere debeant, dicetur capite sequenti.

X. Hoc Festum habet Octavam privilegiatam, infra quam non potest legi Missa votiva, aut pro Defunctis, nec fit de duplicibus & semiduplicibus translatis, nisi illa Festa essent primæ vel secundæ Classis, unde si concurrat Festum S. Joannis Baptistæ, transfertur in sequentem diem non impeditam. Item hæc Octava nulli cedit, nisi solùm Octavæ SS. Trinitatis; ubi ergò in nostris Ecclesijs Festum hoc, quod in Octavario Romano reperitur, celebraretur cum Octava, noverint locorum Superiores, Feriâ sextâ & Sabbato post Festum Corporis Christi debere, nisi Festũ cadens sit, fieri de Octava SS. Trinitatis, cum commemoratione Octavæ Corporis Christi, *Vinit. p. 6. tit. 24. n. 3.*

XI. Post Octavam Hebdomadarius in Conventuali Sacro post sumptum sacrum Sangvinem, sacram Hostiam, quæ in Monstrantia asservabatur ante purificationem sumet (non autem frangit in plures partes, & ad Ciborium pro communicantibus reponit) lunulam postea à fragmentis, si quæ insunt, expurgat; imò etiam vino, ubi opus, eluit & Purificatorio extergit. *Vinit. p. 6. tit. 25. n. 4.* Monstrantia deinde ad Sacristiam reportata, suæ iterum capsulæ vel involucro reponitur, & competenti loco asservatur. Idem debet fieri quocunque tempore Venerabile exponitur, peracta enim devotione, sequenti die ab Hebdomadario post sumptum sacrũ Sangvinem, ante purificationem sumi debet. Meminerint autem tam Sacerdotes, quàm Clerici & Laici, cùm Evchariſtia sit longè sacratissimũ Sacramentum, quô Ecclesia nihil habet admirabilius, nihil dignius, nihil sanctius, & nihil salubrius, ipsum quippe omnis boni fontẽ continens, quandocũq; ante illam transeunt, condignam semper reverentiam illi impendant, usque ad terram

Digitized by Google

genuflectendo, ea omnia prætermittentes, quæ irreverentiam præseferre possint.

CAPUT XX.

De Processionibus.

PRocessiones aliud non sunt, quam Religiosæ precabundi Christiani agminis certo cum ritu obambulationes, quibus vel commemorantur Dei beneficia, & pro ijs aguntur gratiæ; vel supplicatur Deo ad impetrandum aliquod donum, vel auxilium. *Rituale Romanum & Ordinis c. 21. Vinit. p. 4. tit. 5. §. 1.* Hæ omni quâ par est à nostris Fratribus celebrandæ sunt Religione; distinguuntur in ordinarias: ut in ferijs Rogationum Majorum, & Minorum, Festo Purificationis, Dominica Palmarum, Festo Corporis Christi: & extraordinarias, quæ authoritate Episcoporum & legitimorum Superiorum ob publicam causam instituuntur: ut in Jubilæo, tempore pestis, belli, famis, tempore Capituli Provincialis & Precum quadraginta Horarum, *Rituale Ord. loco citato.* Propterea Superior pridiè celebrandæ Processionis admoneat suos Fratres, ut se se spectaculum Deo, Angelis, & Hominibus exhibentes huic Religioso actui, cum omni Religiosa modestia, gravi incessu, & debitâ sensuum, præsertim oculorum mortificatione intersint; nemini dantes ullam offensionem: sed tales se exhibeant, unde sæculares sumant modestiæ, & pietatis exemplum, quod imitentur: eósque qualiter se in Processione gerere debeant, instruant.

II. In publicis Processionibus ab Episcopo vocati, ex vi Tridentini Concilij *Sess. 25. c. 13. de Regular.* comparere tenentur; nisi medio miliari ab urbe distent *Rit: Ord: loc: cit:* & hoc non tantùm in Festo Corporis Christi, & per Octavam, sed etiam alijs temporibus: ac proinde observanda locorum consvetudo, quæ in quibusdam locis obtinuit, ut etiam in ferijs Rogationum comparendum sit. Nec ullo modo cum Ordinarijs locorum est altercandum, si quandoque præter consvetudinem ad ipsas invitamur,

juxta

Digitized by Google

juxta Evangelicum consilium *Matth. 5. v. 41.* qui angariaverit nos mille passus, vadamus cum illo, & alia duo. Ubi tamen rationabilis emergeret difficultas, ad præcavendas lites, quas quandoque Fratrum in dictis & factis imprudentia exasperat, illa judicio R.P. Provincialis remittatur.

III. Die Processionis, quâ comparendum est, Superior officia Divina tempestiviùs expediri faciat, de quo Cap. præcedenti n. 9. Crux à Fratribus Laicis, vel ex charitate à studentibus, ubi studia sunt; aut Clericis, ubi nulla sunt, exornetur floribus; in illis tamen præcisè Processionibus, quæ lætitiam præseferunt: ut in Processionibus in Festo & per Octavam Corporis Christi, aut aliàs, quando circumfertur sanctissimum Sacramentum, aut solemnis pro parta victoria gratiarum actio celebratur. Tunc autem florum ornatus serviat ad devotionem, non autem conceptuum immixtione ad curiositatem, quos millesimus ex hominibus aut non attendit, aut non intelligit. In illis autem, quæ luctum & pœnitentiam significant, ut tempore Rogationum, Jubilæi, tempore pestis, belli, &c. hic florum ornatus, qui lætitiam sapit, omittatur. Tempore Processionis appropinquante, curet Superior tria signa successivè dari, prolixiori campanæ Monasterij pulsatione; quibus auditis, Fratres actutùm ad portam confluant, provisi pallijs, pedibus lotis, detonso crine, uti habitu & capucio mundis, & decenter aptatis, in ordinem redacti, cum silentio Superioris adventum expectent; coram quo omnes genuflexi, clarè accipiant benedictionem, dicentes: *Benedicite.*

IV. Præcedit deinde Cruciferarius (qui plerúmque est Senior Laicus, vel Circator) cum Cruce. Deinde sequuntur reliqui omnes bini & bini, bene compositi, corpore erecto, oculis demissis, primò juniores, deinde seniores, debitam ab invicem servantes distantiam, ut unum par ab altero, tribus ferè passibus sejungatur; socius autem à suo collaterali socio, uno passu distet; nec enim decet, ut latera sibi invicem ità jungant, quasi se premerent. Ultimò

Digitized by Google

timò vadat Superior, qui ubi inæqualis Fratrum est numerus, inter duos ultimos, potest ire medius, vel solus post omnes, *Lohner p. 5. tit. 5. n. 3.*. Quanquam praxis ferat, quod vadat ordine ultimo à dextris cum suo socio. In incessu sint omnes graves, modesti, absque oculorum evagatione, mutuo colloquio, risu, & ijs omnibus, quæ malum exemplum parere possunt sæcularibus. Ubi per viam angustam incedendum, junior præcedat, Senior sequatur, & postea in priorem ordinem bini se conjungant, sicut ante. In progressu antecedentes, observent sequentes, modestè tamen, nè fortè eos longè post se relinquant: ubi autem contingeret priores progredi, sistentibus posterioribus, nullus sibilus, aut vocis strepitus, minùs vociferatio edatur. Sed Superior, vel Sacerdotum unus ex secundo aut tertio ordine, sibi vicinum accersat, & ad Cruciferarium sistendum mittat; interim posteriores paulatim progrediantur, & cum alijs se iterum conjungant, usque dum Cruciferarius sistat; quo sistente, omnes sistunt, eandem ut supra servantes distantiam; aliàs continget illos, vel in varios, vel in unum cumulum congregari cum ordinis turbatione.

V. Ubi ad Ecclesiam, ex qua Processio ducenda est, pervenerint, in medio, si est possibile, vel saltèm ex latere ingressi, coram Venerabili, si expositum est, bini & bini genuflectant, excepto Cruciferario. Idem faciant quando transeunt Altare, aut Capellam, in qua in Tabernaculo asservatur sanctissimum Sacramentum, aut in quo Sacerdos esset in actuali consecratione, omnes eo ordine, quo veniunt, unâ simul genuflectant; nec surgant, nisi post utriusque consecrationem speciei. Deinde occupent locum humiliorem, & à sinistris; nobiliori & à dextris, alijs relicto; habenda tamen in hoc ratio antiquæ consvetudinis, nec in cumulum coacti, sed in debito ordine, bini & bini genuflectant, quibus aliquis à superiore designatus Sacerdos, in vicino Altari, si tempus concesserit, legat Sacrum. Nec admittat Superior, ut per Ecclesiam sub prætextu Concionis, aut alterius motivi, absque suo consensu, & rationabili causa, vagentur. VI. Ex-

Digitized by Google

VI. Exordiente Processione Cruciferarius illum locum, & ordinem occupet, qui ab antiquis obſervatus eſt: ubi tamen aliqualis controverſia ſuper præcedentia & loco oriretur, monet nos Rituale Ordinis, ut cum alijs Ordinibus, non diſputemus, ſed eo loco contenti ſimus, qui ab Epiſcopo fuerit aſſignatus, licèt infimus eſſet: ſic enim decet nos Evangelicum adimplere conſilium, atque omni humanæ creaturæ, propter Deum eſſe ſubjectos, Chriſto præſertim admonente *Luc. 14. Cùm invitatus fueris ad nuptias, recumbe in noviſſimo loco.* In medio, excepto Cruciferario, bini & bini, quiſque cum ſuo collaterali ſocio, ſimul coram Venerabili, ubi circumfertur, genuflectant: ſin minus, erga Altare, & Epiſcopum ſi adeſt, profundam faciant capitis & humerorum inclinationem, & deinde procedant ordine ſupra deſcripto, intra Eccleſiam ſemper detecto capite, extrà verò, capite tecto, niſi Venerabile circumferatur. Capucia non ſint ſemidemiſſa, aut cuſpis capucij revoluta. Si Altaria in via Proceſſionis tranſiverint, ut contingit; in Feſto & Octava Corporis Chriſti, ante illud & Crucifixum, ſolum bini & bini profundam faciant capitis & humerorum inclinationem, non autem genuflexionem, quæ non fit, niſi Venerabili. Ubi in Proceſſione, ut in Feſto Corporis Chriſti, tempore Capituli Provincialis, aut Precum Quadraginta Horarum, candelas geſtaverint, dextri in dextra, ſiniſtri in ſiniſtra illas teneant, alterâ manu pectori admotâ. Abſtineant etiam à precatione ex libellis, ſiquidem animo & oculis ad libellum intentis, debitus ordo vix obſervari poteſt.

VII. Quando in Proceſſione Corporis Chriſti in via deponitur Venerabile, ſuper Altari, maneant Fratres in ſuo ordine, niſi quòd facies ſuas versùs Altare convertant, flectentes & ſurgentes cum alijs: nec ordinem ad locum umbroſum occupandum prætextu refrigerij interturbent. Dum cantatur Evangelium, ſurgant & ſignent ſe cruce, & jungant manus more precantium. Flectant etiam in ultimo Evangelio ad *Verbum Caro factum eſt.* In

Digitized by Google

ferijs Rogationum, quibus processionaliter, in quibusdam locis plures visitantur Ecclesiæ, Cruciferarius à sinistris illum occupet locum, qui reliquis introeuntibus non sit impedimento,& Canonicis, Sacerdoti celebranti, aliisque honoratioribus Personis in transitu inclinatione capitis honorem exhibeant; in exitu factâ in medio, si Venerabile est in Tabernaculo, geniculatione aut saltem inclinatione profunda, eundem, ut ante, ordinem teneant.

VIII. Ubi Processio nostram Ecclesiam propè transiverit, aut planè introiverit, à Superiore unus constituatur,qui tempestivè pulset,donec Processio transiverit; in accessu verò accendantur in majori Altari, sex candelæ, & suppedaneum, si tempus patitur, inspergatur floribus, revoluto superiori Tobali. Ad initium suffragiorum cessetur à pulsu. Processione iterum abeunte pulsus resumatur, & congruum erit, ut ad ingressum Processionis,aliquis Sacerdos, in laterali Altari Sacrum legat, qui tempestiviùs ex Processione, pro dispositione Superioris, se domum conferre poterit, sintque omnia per totam Ecclesiam munda & nitida.

IX. Absolutâ Processione, rursus principalem Ecclesiam ingressi, easdem ut supra cæremonias observent. Persolutis deinde orationibus, vel impertitâ populo cum Venerabili Benedictione, tandem surgunt, non citiùs: & factâ Venerabili, vel Tabernaculo, vel Altari, ut præfertur, reverentiâ, eo ordine quo venerunt ad Conventum revertantur.

X. Etsi in nostra Provincia non sit moris, quod privatæ instituantur Processiones per civitatem ad aliquam Ecclesiam vel locum pium, si tamen aliquando una susciperetur, noverint, se illam non posse instituere sinè licentia Ordinarij.

CAPUT XXI.

De Precibus Quadraginta Horarum.

Hæ

Digitized by Google

HÆ preces occasione quadraginta horarum, quibus Salvator noster secundùm carnem defunctus in sepulchro jacuit, institutæ, & à Pio IV. aliisque Pontificibus roboratæ & confirmatæ, memoriam mortis Christi recolunt; *Corsetti p. 1. c. 14. n. 1.* quæ sicut Deo Patri gratissimæ, ità ad impetrandam Divinam opem efficacissimæ esse solent. Decens itaque erit, ut hæc sancta devotio, de qua piæ fidelium mentes, orationis pabulo refectæ, uberrimos fructus colligunt, laudabiliter celebretur. Sunt autem duplices: interpolatæ, & non interpolatæ; Priores celebrantur tempore Capituli Provincialis. Item quando pro publica necessitate ab Ordinarijs per decem horas quaternis diebus, etiam à Regularibus persolvendæ instituuntur. Non interpolatæ celebrantur ex licentia summi Pontificis singulis annis semel, vel à Superiore in Ecclesia sui Conventus, vel à Concionatore in Ecclesia externa in qua concionatur. Posteriores sunt ad decennium, cum indulgentijs plenarijs: Capitulares verò in perpetuum etiam cum Indulgentijs plenarijs, attamen pro solis Fratribus in Capitulo congregatis, qui ut eas lucrentur, ad minus duas orationis horas impendere debent, pro concordia Principum Christianorum, exstirpatione hæresum, exaltatione Fidei, salute Papæ, & augmento Regularis disciplinæ, & insuper confessi & communicati fuerint. *Bonagrat. V. Indulgentia. n. 220.*

II. Pridie Orationis parentur Altaria, præsertim majus, mundiori ornatu, & quidem albo, reliqua sint conformia colori Officij. Tabernaculum sericeum, seu conopæum pro expositione Monstrantiæ affigatur. Reliquiaria, si possibile Monstrantiâ altiùs non collocentur. Paramenta pro Sacerdotibus adhibeantur mundiora, Thuribulum cum navicula expoliatur, præparetur comminutum thus, & sufficientes candelæ, quæ, si possibile, sint albæ, & ea omnia sint nitida, quæ ad Festi solemnitatem decorandam sunt necessaria. Pridie quoque ad Vesperum tria prolixa signa pulsentur, ad indicandam solemnitatem Orationis Quadragin-

Digitized by Google

draginta Horarum, quod & quovis vespero, quamdiu Preces durant, fieri debet, ut populus ad orationem invitetur. Superior pridie affigat tabellam, seu ordinem juxta quem bini & bini Venerabili per singulas horas assistant: Rastellum quoque patulum sit, nè obsit conspectui Venerabilis.

III. Preces sinè interpolatione apud nos sumunt initium, duodecimâ noctis, & finiuntur sequenti die horâ quartâ. Quapropter curet Superior pridie consecrari alteram Hostiam, illámque in Monstrantiâ reconditam, in ligneum Tabernaculum reponi; prætacto tempore post secundum pulsum ad Matutinum, Superior Sacristiam ingressus, superpelliceo & stolâ albâ indutus, sumptóque corporali, nisi jam ante à Sacristano in Altari expansum sit, ad Altare, in quo sex candelæ accensæ, & unà duæ prope conopæum ardeant, accedit, & exponit Venerabile, ijsdem ritibus & ceremonijs supra Cap. 19. n. 4. præscriptis. Deinde impertitur benedictionem Fratribus & Sæcularibus, si qui præsentes sunt (in quibusdam enim locis copiosus sæcularium media nocte pro hac Benedictione & orationum initio fit confluxus; unde Sacristanus januam Ecclesiæ tempestivè aperiat) deinde Monstrantiam loco præparato reponit & statim assistunt Venerabili assignati in tabella; solet autem sub Matutino & Vesperis illud tempus omnibus Fratribus Laicis simul præscribi, ut alij Divinis Laudibus in Choro vacare queant. Et si oratio mentalis habetur de nocte, post Laudes solet ipsa ab omnibus Fratribus coram Venerabili fieri: inde postea bini & bini succedunt, prout fert ordo, flectentes penes majora candelabra in infimo assere, præterquam tempore Sacrorum, quo magis retrò flectunt, nè obsint ministranti; in linea tamen æquali, habentes ante se clepsydram horariam pro directione. Junior diligenter attendat emunctioni candelarum, & nè ex defluxu earum aliquod nocumentum causetur. Hic binarius Fratrum numerus, ubi multi Fratres sunt in Familia, tametsi sit populus copiosus præsens, sinè interruptione Venerabili assi-

Digitized by Google

assistat; tum ut ratione boni exempli, tũ nomine Conventûs continuata fiat: quadraginta horarum Oratio, tum ut semper adsint Custodes Venerabilis, qui pro Deo excubias agant. Ubi tamen pauci essent Fratres, sufficit unus, poterítque fieri interruptio tempore sacrorum, quo aliâs populus confluit ad orandum. Nunquam verò orantes discedant, donec alij duo horâ sonante successerint. Omnes proinde Superior in Domino adhortetur, ut quivis ad suam horam præscripto tempore faciendam, vigil sit, & observans. Quapropter unus à Superiore constituatur, qui diligenter attendat, & emanentes vocet, vel id fiat à Juniore orante ad finem horæ.

IV. Sacra privata quæ fiunt in majori Altari coram Venerabili Sacramento, ijsdem genuflexionibus & ritibus supra Cap. 19. n. 8. præscriptis leguntur, in colore tamen conformi Officio diei. Conventuale, adeóque solemne Sacrum fiat de Venerabili Sacramento in paramentis albis, cum incenso. *Gloria*, & *Credo*: sinè ulla commemoratione feriæ, etiamsi sit dies Dominica, aut Festum duplex. Et quia nostræ Ecclesiæ sunt ad instar, & quasi collegiatæ, posset tunc post Sextam, una dici de festo, aut tempore: illa quæ antecedit communionem de sanctissimo Sacramento, nisi sit dies aut festum ex majoribus privilegiatis: tunc enim Missa erit de die, cum commemoratione sanctissimi Sacramenti, in colore tempori convenienti: quanquam, si Processio habenda est, debeat celebrari in paramentis albis. In incenso nulla infiguntur oscula, neque rebus quæ porriguntur, neque manui celebrantis: benedicitur tamen à Sacerdote incensum, quia præter Venerabile etiam Altare incensat. Horæ tam diurnæ, quàm nocturnæ decantentur cum majori devotione & tarditate, eo tempore, quo expositum est Venerabile Sacramentum. Sacra autem ità disponantur, ut manè intrantes Ecclesiam, illam nunquam inveniant sinè Sacro. Unde singulis semihoris, ubi sufficiunt Sacerdotes, sacrum exeat, incipiendo â quarta, quinta, vel

Digitized by Google

sexta hora, usque ad duodecimam, prout Superiori videbitur. Singulis diebus habeatur bina concio. Prima manè horâ nonâ, ad quam in principio ultimi Sacri prolixum signum pulsatur. Ad *Agnus Dei* verò viginti ictus. Altera vesperi post Completorium, pulsato signo prolixiori ad, *Qui habitat*, & viginti ictibus ad *Nunc dimittis*: quibus populus ad concionem vocetur. Litaniæ autem B. Virginis, usque post Concionē coram Venerabili differantur.

V. Peractâ ad Vesperum concione, Superior, vel Hebdomadarius in Sacristia superpelliceo & stolâ alba indutus, præcedentibus duobus Acolythis superpelliceis indutis, quorum unus librum Orationum præfert, accedit Altare, & ibi in medio scabello genuflexus, factâ profundâ capitis inclinatione reverentiâ, cum duobus Acolythis cantat Litanias B. V. omnibus Fratribus in gyrum ante Altare flexis respondentibus. Post, *Sub tuum præsidium*, porrecto ab Acolytho libro, subjungit Versiculos & Orationes: quas persolvit stans, & reliqua perficit, & cum Venerabili benedictionem impertitur, juxta quod supra *cap. 19. n. 6.* notatum est. Ultimò post secundam incensationem Venerabile ad suum locum reponit, & recedit: preces verò continuantur.

VI. Posterâ die clauduntur preces cum Processione. Ad finem concionis, Superior humerali, albâ, & stolâ albi coloris, ante pectus in modum crucis applicatâ, pariter Diaconus nisi quod stolam in transversum accommodet, & Acolythus mundo superpelliceo induti, finitâ concione ad Altare egrediuntur, sacerdos junctis manibus præcedente Acolytho cum libro orationum, & Diacono cum velo sericeo albo oblongo; & factâ ante Altare in infimo assere profunda ad terram genuflexione, flectunt in medio scabello: Sacerdos medius, Diaconus à dextris, Acolythus à sinistris, Venerabile brevi morâ adorantes. Postmodum præviâ profundâ capitis & humerorum inclinatione, incipiunt & prosequuntur Litanias: ad quarum finem distribuuntur, tam inter Fratres, quàm inter sæculares digniores candelæ: & finitis stando oratio-

Digitized by Google

rationibus cum prævijs versiculis, quarum prima sit de Venerabili, secunda de B. V. tertiâ de S. Patre, quarta pro Imperatore, aut alia necessitate, pro qua preces sunt institutæ: & peractâ in secundo scabello à genuflexo Superiore incensatione, surgit Diaconus, imponit velum oblongum Sacerdotis humeris, ut æqualiter defluat: ascendit, & priùs genuflexus Monstrantiam Sacerdoti porrigit, & tegit manus velo, ad eum modum, qui pro die Jovis sancto præscriptus est. Tandem celebrans manibus velo tectis ad populum versus stans incipit cantare: *Pange lingva glorioſi.* Deinde oritur Processio, præcedit Cruciferarius inter duos Ceroferarios: sequuntur bini & bini candelas gestantes, & reliqua omnia huc pertinentia observantes: atque ut sit uniformitas, vel omnes cum pallijs, vel sinè illis incedant, quæ præcedenti capite recensita sunt: Diacono in progressu Processionis per vices interpolatas Sacramentum genuflexo incensante.

VII. Extra Ecclesiam in circulum, si situs loci ferat, ducatur Processio, idque cum licentia Ordinarij, saltèm Parochi, *S. R. C. 26. Febr. 1628. apud Laynes tom. 1. p. 2. tract. 13. q. 81. n. 6.* præsertim si ultra triginta passus ab Ecclesia Processio protendetur *Compend. Eligij V. Proceſſiones. n. 7.* nisi fortè alicubi patrocinetur cõsvetudo, & tacitus Ordinarij consensus, qui sciens non contradicit. Sub Processione cantetur sonorè & distinctè Hymnus, *Pange lingva glorioſi*, cum interstitijs & pausis; ità ut versiculi simul incipiantur & finiantur. Ad versic: *Tantum ergo*: omnes ad Venerabile facie conversi genuflectant, præter Cruciferarium, & duos Ceroferarios. Sub processione pulsetur campanâ, & Acolythus identidem faciat resonare tintinnabulum.

VIII. Redeundo ad Altare, Fratres cũ candelis accensis in gyrũ flectunt, & Diaconus reddito Acolytho thuribulo genuflexus in suppedaneo, ità ut tergũ obliquè vertat ad cornu Epistolæ solutis priùs veli extremitatibus, accipit à Sacerdote Monstrantiam, & eam super Altare in corporali collocat, demum prævia genuflexio-

Digitized by Google

flexione descendens assistit Sacerdoti incensaturo Sacramentum, porrigendo naviculam: qui stans imposito thure in thuribulum, sinè benedictione præmissâ, solus ascendit, & accipit Monstrantiam, modo alibi explicato, ità ut facies sacræ Hostiæ populum respiciat, séque ad populum vertens, æquali tono intonat: *Tantum ergo Sacramentum*: quem versiculum eodem tono Fratres prosequuntur. subjungit deinde: *Genitori Genitóque*; Choróque prosequente & cantante: *Sit & Benedictio*, ipse populo benedicit nihil dicens, eo modo ut supra *cap. 19. n. 4.* notatum est; postea pulsatur: *Ave Maria*: salutatione Angelicâ persolutâ, ascendit Diaconus cum requisitis genuflexionibus, adhibitóque, si necesse, scabello, ad Tabernaculum reponit Venerabile, quod sequenti die ab Hebdomadario post sumptum S. Sangvinem ante Purificationem, ut jam supra notatum, sumitur.

IX. In precibus Quadraginta Horarum interpolatis, quæ aliquando ab Episcopis instituuntur, quæque integro quatriduo durant, singulis diebus decem horæ orationi impenduntur. Exponitur Venerabile horâ sextâ manè, & reponitur post Completorium, vel Concionem, si quæ habetur, & Litanias decantatas, fiúntque omnia more & ritu supra recensito.

X. Cùm itaque tantus in populum dimanet fructus per preces quadraginta horarum, consultum foret in omnibus Conventibus eadem celebari; cùm pro omnibus Brevia facilè possint Romæ impetrari. Quibus habitis, poterit tale tempus dieíque eligi quô omnes Fratres domi congregati huic actui per vices interesse possent: si non duo, saltem unus; maximè illo tempore, quo copiosus adest populus. Nec etiam necesse est, ut quotidie habeantur duæ conciones: neque ut fiat Processio in fine: neque ut tot ardeant candelæ, quia hæc fortè in parvis familijs obstaculum causare possent.

Etsi perinde sit, num quis vocaliter oret, aut mentaliter; convenit tamen ut ait *Vinit. p. 4. tit. 6. n. 13.* vocaliter orare, dicereq;

Lita-

Digitized by Google

Litanias omnium Sanctorum, vel *Litanias Lauretanas*, *Rosarium*, aut quascunque preces, juxta intentionem summi Pontificis, & ad Indulgentiam consequendam: nam si nemo sub illa oraret, aut per modum precantium se haberet, interrumperetur continuatio Precum quadraginta horarum.

CAPUT XXII.

De Prima Missa Neomystæ.

INprimis Neo-Sacerdos Primitias celebraturus profundâ animi humilitate, & assiduâ hujus mysterij consideratione, ut par est, se disponat: nec ad illas celebrandas accedat, nisi priùs Generales, ac speciales Rubricas, & Ritum celebrandi Missam, juxta præscriptum Missalis Romani perlegerit, memoriter didicerit, quæ memoriæ mandanda sunt, & in actionibus & cæremonijs Missæ bene instructus, & frequentiùs exercitatus sit. Quapropter curæ Superioris, qui in re tanti momenti circumspectus sit, incumbet, Neomystæ aliquem pium, eruditum, & in Ritibus optimè versatum Sacerdotem pro instructione assignare, nè alioquin eligatur, qui egeat magis doceri, quàm docere. *Rit. Ord. lib. 3. c. 22. Vinit. p. 2. tit. 15. §. 3. 4.*

II. Neomysta pro meliori conscientiæ emundatione, præmittat confessionem generalem, & pridie Superiorem accedat, ipsum humiliter pro assistentia (nisi fortè id alteri de consvetudine, aut Lectori, quando Discipulus Primitias celebrat, competeret) requirendo, totàmque Familiam ad Primitias invitando; quatenus corporali præsentia, & spirituali comprecatione adjutus, primum suum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem. Nôsse siquidem oportet ex concessione Pauli V. Sacerdotem Religiosum, primam suam Missam celebrantem, & Religiosos confessos, & sacrâ Communione munitos eam audientes, lucrari Indulgentiam plenariam. *Bonagr. V. Indulg. n. 220.*

Digitized by Google

Quapropter Superior id in Refectorio promulgabit, ut omnes Fratres legitimè non impediti Primitijs intereſſe ſtudeant.

III. Sacriſtanus Altare ſolitò decentiùs ornabit, ut quod novum Sacerdotem ad Sacrificium peragendum debet recipere; novâ quoque exterioris ornatûs figurâ militantis, ac triumphantis Eccleſiæ tunc ovantis lætitiam præſeferat; in quo tamen ornatu nihil curioſum, nil ſuperfluum, aut noſtræ paupertati & ſimplicitati ſit diſconveniens. Uſu introductum eſt, corollis è floribus candelas Altaris tempeſtiviùs exornare, deſignantibus proceſſurum Neomyſtam tanquam ſponſum de thalamo ſuo. Parentur etiam corollæ pro Neomyſta, Aſſiſtente, Acolytho, & Faciferis, & decentiùs erit ſtatui noſtro pauperi, ut ſint è floribus, quàm ut ex dono ſæcularium admittantur ex ſericeis ligulis pretioſis; niſi fortè ſimiles calici ſuperponerentur.

IV. Pridie ad Veſperas, Completorium, & ipsâ die Primitiarum Neomyſta in Choro officium peragat Hebdomadarij, & eâdem die præcedentiam habeat ante omnes alios Sacerdotes, Superiore excepto, ídque tam in Choro, quàm Refectorio. Benedictionem & gratiarum actionem menſæ more Hebdomadarij facturus; quod ut ſinè errore fiat, omnia maturè prævidebit, & commendabit memoriæ.

V. Poſt Sacrum Conventuale, vel tempore à Superiore deſignando, pulſentur à Sacriſtano tria ſigna, prout moris eſt ad ſolemne Sacrum. Deinde accendantur in majori Altari ſex candelæ. Interea Neomyſta ritè diſpoſitus Sacriſtiam ingreſſus, præſentibus Aſſiſtente, & Miniſtro convenienter indutis, ſacris paramentis ſeparato loco collocatis, ſed mundioribus & pulchrioribus competenter induatur; & attendat Aſſiſtens, ut in ſacrorum Indumentorum acceptione; videlicet Amictûs, Manipuli, & Stolæ oſcula non omittat, & præſcriptas oratiunculas integrè & devotè perſolvat. Priùs autem Aſſiſtens calicem cum hoſtia parabit, ſertis florigeris coronabit, ſerto etiam ſiniſtro Primitiantis brachio indi-

Digitized by Google

indito, Missam suis interdistinctam signaculis exquiret, paratas pariter assument corollas Assistens, Minister & Faciferi.

VI. Solent Neomystæ Primitias celebraturi accipere primum Sacrum de sanctissima Trinitate, vel de Spiritu sancto: vel de B. Virgine, prout cujusvis fert affectus,& devotio; quod quidem laudabile est, quando Primitiæ celebrantur tali die, quâ licet celebrare Missam votivam: diebus autem Dominicis, Festis duplicibus, aut alijs diebus privilegiatis, quibus Missæ votivæ prohibentur, debet dici prima Missa de Dominica, vel de Festo cadente, non verò una ex votivis. *Vinit. p. 1. tit, 4. §. 22.*

VII. Omnibus paratis, præcedunt ad Altare sex Faciferi, vel in defectu saltèm quatuor; & ubi pauci sunt Fratres, adhiberi possunt etiam Faciferi sæculares. Hos sequuntur Minister in superpelliceo cum libro: deinde Assistens cum calice parato, ultimò Neomysta junctis ante pectus manibus, oculis demissis, capite ab humerali tecto (nisi sit Venerabile expositum) incessu gravi.

VIII. Postquam ad Altare pervenerint, Neomysta inter Assistentem & Ministrum, detecto priùs capite genuflectit in infimo gradu SS. Sacramentum adorans; Assistens verò post genuflexionem ascendat ad Altare, factáque debitâ reverentiâ, calicem in eo super corporale extensum collocet, velúmque aptet more solito: deinde Missale aperiat, Missámque signatam exquirat. Tum ad dextram Sacerdotis rediès, Ministro sinistram tenente, medius Neomysta, qui surgens cum Assistente Missam inchoat, Ministro ad omnia more solito respondente. Psalm. *Judica*, & confessionem ambo persolvunt, ità ut Assistens cum celebrante, vel inclinante, vel stante, pariter stet, vel se inclinet, & easdem cæremonias faciat: signando se cruce, &c.

IX. Confessione absolutâ Celebrans Altare ascendat, quem à dextris Assistens comitetur, semperque assistat ad librum cum Celebrante se inclinet, genuflectat, se signet, prout opus erit; quasi in omnibus actibus eum præcedens, modestè tamen & pruden-

Digitized by Google

ter; attamen cum Neomysta non extendit manus, aut elevat, nec convertit se ad populum, nec osculatur librum aut Altare: nec benedicit populum vel oblata, nec alia facit similia; nisi cùm Neomysta eorum aliquid omitteret, is vel gestu aliquo, aut verbo admonendus esset; circumspectè tamen, nè ex immoderata correctione magis reddatur perplexus *Vinit. p. 2. tit. 15. n. 4.* Altare, prævia thuris benedictione incensat Neomysta more consveto, cui Minister naviculam, & thuribulum debitis cum osculis (si sacratissimum Sacramentum non sit expositum) porrigit: quo tempore se Assistens ad partem retrahit, tractus incensationis accuratè observans. Faciferi verò intrant & redeunt ad Evangelium, sanctus, & finem, eo modo & ordine, quo in sacra Nocte Nativitatis Domini expositum est.

X. Assistens, à verbis: *Qui pridie*, in supremo gradu post Celebrantem, genuflectit, usque post consecrationem Calicis finitam. Item à verbis: *Domine non sum dignus.* usque ad sumptionem Calicis, & deinde ad benedictionẽ Missæ in fine. Tabellam pacis osculandã Assistens Neomystæ offerat, primúsq; pacem ab illo recipiat, quam deinde det Ministro. Si facienda est Communio, fiat ut aliàs; verùm Assistens à dextris Neomystæ, teneat patenam sub mento Communicantium, quòd, alioquin solùm Episcopis conveniens, permittitur Neomystis ad cavendum periculum irreverentiæ, ubi aliqua sacra particula manibus excideret Neomystæ in primo actu plerúmque trepidantis. *Vinit. loc. cit. n. 5.*

XI. Finitâ communione Assistens calicem, impositò in bursam corporali, recomponit, & post celebrationem finitam, omnes eò, quô venerant ordine ad Sacristiam redeant; Neomysta in Sacristiam reversus, cui intranti, & Minister, & Faciferi faciunt in ordine reverentiam, ipse verò factâ Cruci reverentiâ, planetam & manipulum deponat, corollámque sinistrâ manu retinens, vertat se & primum Superiori, deinde Assistenti, si alius est à Superiore

Digitized by Google

riore, Ministro, & reliquis per ordinem benedictionem impertiatur, ambas manus extensas super caput benedicendi tenens, ac dicens: *Benedictio DEI Omnipotentis, Patris,* † *& Filij & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper.* vel *omni Benedictione celesti, benedicat te DEUS Pater,* † *& Filius, & Spiritus sanctus.* Quando nominat Personas sanctissimæ Trinitatis, faciat dextrâ crucem super benedicendum, sinistrâ interim super caput illius relictâ, & demum consecratas manus porrigit osculandas, id est duos priores digitos, pollicem scil: & indicem. Omnibus in Sacristia benedictis, ad Altaris cancellos exit, & ibidem etiam sæcularibus benedictionem impertitur, & primò quidem Parentibus, & amicis, si qui sunt præsentes.

XII. Etsi plerumque prima Missa solemnis esse soleat, id tamen ità necessarium non est, ut etiam privatim celebrari non possit. Quapropter ubi plures Neomystæ eodem die & tempore celebrarent, reliquæ in Altaribus lateralibus, aut Capellis, veluti privatæ sinè incenso & pace, attamen cum Assistente & Ministro, sex candelis in Altari accensis, celebrari deberent. Et convenit ut Neomystæ privatim celebrantes, expectent finem Missæ solemnis, & deinde junctim competentem benedictionem impertiantur.

XIII. Neomystæ, tria Sacra ab Episcopo imposita, videlicet: de Spiritu sancto, de B. Virgine, & pro Defunctis, non debent necessariò tribus Primitias subsequentibus diebus persolvere; imò nec possunt illis diebus, quibus inhibentur sacra votiva; sed debent dici tempore opportuno. In Missa de Spiritu sancto, & de B. Virgine, neque Gloria, neque Credo dicitur. Excipe, si Missa de B. Virgine legatur in Sabbato, tunc enim dicitur Gloria. Missa pro Defunctis debet esse quotidiana, cum tribus consvetis orationibus.

XIV. Ultimò, Neomysta sit sollicitus, ut non modo tempus matutinum, paucósque dies qui præcesserunt, sed & pomeridianum,

Digitized by Google

dianum, omnesque reliquos vitæ dies, in omni pietate, ac animi devotione transigat, ut ab ea hora, quâ primùm DEO sacrificare recepit, vultus ejus nunquam in diversa mutetur; nè ab incepta pietatis, gravitatis, & dignitatis Sacerdotalis forma deficiens, sibi quandóque dissimilis esse inveniatur: sed memor impretiabilis gratiæ à DEO sibi collatæ, videlicet: quod Regali Sacerdotio, Genti sanctæ, populo acquisitionis, adscriptus sit, magis, magisq; in omni pietate & virtute Sacerdotali crescat & confirmetur; ut Sacrificia, quantò fuerint crebriora, tantò sint sanctiora. *Vinit. p. 2. tit. 15. §. 7.* Studeat autem Ritus & cæremonias ad amussim Rubr: Miss: Rom: peragere, & nè in abusus deflectat, singulis primis Mensibus Ritus de novo perlegat, séque examinet, num omnia ritè & debitè perficiat quo accuratam Rituum observantiam, in piam consvetudinem deducat, nec facilè ampliùs aberrabit. Deinde non statim imitetur quod ab alijs practicari viderit diversum ab illo quod ipse edoctus est, sed priùs illud examinet ad Regulam Rituum, vel priùs exquirat peritiorum consilium. Caveat autem à nimia Missæ festinatione, aut properatione; decet tamen mediâ horâ; sicut enim nimia protractio est audientibus fastidiosa, ità nimia deproperatio est irreverens, & irreligiosa, & audientibus scandalosa.

CAPUT XXIII.

De Ritu Jubilæum, sive Sacerdotij, sive Professionis celebrandi.

QUoniam in Ordine nostro Seraphico sacer ille, & verè laudabilis mos inolevit, ut quicunque quinquagesimum annū, seu à die investionis, seu à die Primitiarum suarum, impleverint, Jubilæum solemniter celebrent, votáque sua, seu Primitias publicè renovent: idcircò cæremonias aliquas in ejusmodi solemnitate usurpandas apponimus.

II. Quin-

Digitized by Google

II. Quinquagenarius ille, de licentia R. P. Provincialis Jubilæum ſuum celebraturus, inſtituat generalem confeſſionem, & præparet ſe omni meliori modo ad illum actum; quo indubiè notabile augmentum Divinæ gratiæ accepturus eſt. Populo Iſraël dicebat Deus *Levit. c. 25. Sanctificabis annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terra tua: ipſe enim eſt Jubilæus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque redibit ad familiam priſtinam.* Si ergo DEUS annum Jubilæi vocavit annum remiſſionis, voluítque omnes ad priſtinas ſuas poſſeſſiones reverti: indubiè acquirent etiam noſtri Jubilarij rite præparati, remiſſionem peccatorum ſuorum, & renovationem gratiarum in Profeſſione, atque Primitijs collatarum.

III. Horâ competente P. Jubilarius melioribus Sacerdotalibus paramentis indutus, ducatur proceſſionaliter è Sacriſtia per portam Conventûs in Eccleſiam hoc ordine: præcedit Crucifer, inter duos Ceroferarios, quem ſequuntur Fratres & Patres bini & bini; poſt illos vadunt duo Clerici ſuperpelliceis induti habentes in ſiniſtris brachijs coronas, quorum unus in dextra coronam ex roſmarino vel alijs floribus, alter verò baculum oblongum ſimiliter ornatum portet in ſummitate habens tranſverſum lignum in formam crucis: illos ſequitur P. Gvardianus ſuperpelliceo, vel amictu ſtolâ & albâ indutus, etiam in brachio ſiniſtro coronam ferens, & in manibus hoc Rituale tenens. Ultimò vadit P. Jubilarius junctis manibus ante pectus. Poſtquam ad portam Eccleſiæ venerint; incipit ipſe aut P. Gvardianus altâ voce: Antiph: *Jubilate DEO omnis terra*, quam Chorus proſequitur ſcilicet: *Pſalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.* Quâ finitâ P. Jubilarius inchoat Canticum *Benedictus Dominus DEUS Iſraël.* Quod Fratres alternatim cantando, pergunt ad ſummum Altare, ante quod ſtant uſque ad finem Cantici. P. Jubilarius in medio. P. Gvardianus à dextris, & duo Clerici juxta illos.

Finito

Digitized by Google

Finito Cantico repetitur Antiph. *Jubilate DEO, &c.* & P. Gvardianus aſcendit ad Altare ad cornu Evangelij, facturus brevem exhortationem P. Jubilario; qui interim vadit, ad ſedem à cornu Epiſtolæ prope Raſtellum collocatam, in qua ſedet uſque ad finem Exhortationis; Clerici verò in ſuperpelliceis ſtant penes illum.

IV. Finitâ Exhortatione ſurgit P. Jubilarius, & vadit cum duobus Clericis ad medium Altaris ibique in inferiori gradu flectit, ad quem P. Gvardianus dicit: Quid petit Reverenda (vel Adm: Ven:) Paternitas veſtra Jubilaria?

Reſpondet Jubilarius.

Peto ex animo divinam miſericordiam, & anni Jubilæi gratiam.

P. Gvardianus ait:

Ad hanc uberiùs conſequendam, neceſſaria eſt nobis infuſio Spiritus Sancti, quam per ejus hymnum devotè imploremus.

Hic Pater Jubilarius altè inchoat Hymnum: Veni Creator Spiritus, *quem Fratres alternatim proſequuntur.*

Hymnus.

VEni Creator Spiritus
Mentes tuorum viſita.
Imple ſupernâ gratia,
Quæ tu creaſti pectora.
Qui diceris Paraclitus
Altiſſimi donum DEI.
Fons vivus, ignis, Charitas,
Et ſpiritalis unctio.
Tu ſeptiformis munere
Digitus Paternæ dexteræ
Tu ritè promiſſum Patris,

Sermo-

Digitized by Google

Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem Cordibus;
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longiùs,
Pacémque dones protinus:
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus átque Filium:
Teque utriúsque Spiritum
Credamus omni tempore.
DEO Patri sit gloria
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito
Nunc & per omne sæculum, Amen.

Tempore Paschali dicitur:

DEO Patri sit gloria
Et Filio qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sempiterna sæcula, Amen.

Quò per Fratres absolutò, bini Ministri P. Jubilarij genuflexi cantant sequentes Versus:

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,

Digitized by Google

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Signaſti Domine ſervum tuum Franciſcum:
℟. Signis Redemptionis noſtræ.
℣. Salvum fac ſervum tuum,
℟. DEUS meus ſperantem in te,
Verſ. Domine exaudi orationem meam,
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

P. Gvardianus à dextris P. Jubilarij, ſurgens cantat:

Verſ. Dominus vobiſcum, *Reſp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum: purifica per infuſionem Sancti Spiritûs cogitationes cordis Famuli tui N. ut in hoc ſuo Jubilæo te perfectè colere, & gratiam tuam uberiorem conſequi mereatur.

COncede hunc famulum tuum, quæſumus Domine DEUS, perpetuâ mentis, & corporis ſanitate gaudere: & gloriosâ Beatæ Mariæ ſemper Virginis, átque Seraphici Patris noſtri Franciſci interceſſione, ab omni purificari immunditiâ & ſpirituali perfundi lætitiâ.

OMnipotens & miſericors DEUS, qui per Moyſen famulum tuum, annum quinquageſimum obſervari, & Jubilæum nominari juſſiſti: quique in eodem plenam omnibus remiſſionem ac libertatem condonans, in lege tua perſeverantibus largam tuæ benedictionis abundantiam promiſiſti: tribue quæſumus huic famulo tuo, Patri N.

Anni

Digitized by Google

Anni Jubilæi diem, de Sacroſancto (*Sacerdotij vel Profeſſionis*) ſtatu devotè celebranti, tuæ gratiæ largitatem; ut qui annum quinquageſimum, te donante complevit, omnium peccatorum, & negligentiarum ſuarum, quas in ſtatu (*Sacerdotali vel Religioſo*) ex humana fragilitate commiſit, plenariam remiſſionem & indulgentiam conſequatur: tuámque cæleſtem benedictionem & ſanctificationem obtineat: quatenus in hoc ſancto Regulari propoſito laudabiliter perſeverans, & de bono ſemper in melius proficiens, deinceps tibi fideliter deſerviat; & poſt præſentis vitæ militiam, ad bravium æternæ felicitatis feliciter perveniat. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum.

Poſteà P. Gvardianus ſurgens, & ſuppedaneum Altaris aſcendens ante Patrem Jubilarium ſtans, dicat:

Reverende (vel Adm. Ven:) Pater, jam ſeſe de novo conſecret, ſponſo ſuo JESU Chriſto, renovétque ſincerè & devotè ſuam Profeſſionem.

Tunc Jubilarius altâ voce legat ſequens votum; tenendo dexteram manum ſuper pectus ſuum. P. Gvardianus verò tenet hunc librum ambabus manibus coram eo apertum.

DOmine DEUS meus, coram te & tota cæleſti Curia, atque coram omnibus hìc præſentibus, ingenuè confiteor, me ſolemnia illa vota, quæ tibi ante quinquaginta annos ſolemniter promiſi, negligenter ſervaſſe, ſæpiúſque tranſgreſſum eſſe: idcircò ad delendos defectus commiſſos, eandem voluntariè renovo, atque pleno corde, & ore,

Digitized by Google

voveo, juro, & promitto Domino DEO Creatori, Redemptori, ac Salvatori meo: & Beatissimæ Mariæ semper Virgini, atque Beatissimo Patri nostro Francisco, omnibúsque Sanctis, ac tibi Reverende P. Gvardiane: toto reliduo tempore vitæ meæ, servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam: vivendo in obedientia, sinè proprio, & in castitate.

P. Gvardianus subinfert:

Et ego ex parte DEI, si hæc observaveris promitto tibi vitam æternam.

Omnes præsentes respondent: Amen.

Deinde unus Clericorum porrigit P. Gvardiano Coronam de Rosmarino, quam hic capiti P. Jubilarij imponit, dicens:

Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Tum alter Clericus porrigit P. Gvardiano baculum, quem ille P. Jubilario porrigens, ait:

P. Jubilarie, quoniam Rev: (vel Adm: Ven:) Paternitas vestra, longum & arduum iter æternitatis brevi ingressura est: ideo porrigo ipsi baculum crucis, ut fessus super eum se inclinet, & cum illo canes infernales abigat.

Postea P. Gvardianus genuflectit & duo Clerici cantant:

Vers: Jubilate DEO omnis terra, * servite Domino in lætitia.

Chorus Resp: Introite in conspectu ejus * in exultatione.

P. Gvardianus surgens cantat;

Oremus.

Digitized by Google

Oremus.

CLementiſſime DEUS, à quo bona cuncta procedunt: qui ſingulari myſterio quinquagenarium numerum ſanctificaſti, dum quinquageſimo die egreſſionis Filiorum Iſraël de Ægypto legem tradidiſti, rurſúſque quinquageſimo die poſt Reſurrectionem Filij tui, adveniente Spiritu Sancto, legem gratiæ cordibus fidelium infudiſti: te ſuppliciter exoramus: ut hunc famulum tuum Patrem N. eodem annorum numero in tuo ſancto ſervitio perdurantem, propitius reſpicere, ſuáque repetita vota clementer ſuſcipere digneris; quatenus divinæ legi tuæ, & regulæ ſuæ humiliter ſubjectus, gratiam uberiorem Sancti Spiritus ſuſcipiat, & in ea uſque ad mortem conſtanter perſeverare valeat. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

V. His peractis P. Jubilarius deponit coronam & baculum, & P. Gvardianus aſcendit ad Altare, extrahit è tabernaculo SS. Sacramentum, & deſcendens, porrigit P. Jubilario naviculam; qui ſurgens imponit thus in thuribulum, & SS. Sacramentum incenſat, aſcendit ad Altare, dat benedictionem nihil dicens, atque poſt iteratam incenſationem, Miſſam inchoat, quæ ſolemniter cum incenſo celebratur: Pater Gvardianus aſſiſtit, & duo Clerici inſuperpelliceis miniſtrant.

VI. Finitâ Miſsâ deſcendit P. Jubilarius ad inferiorem gradum ſuppedanei, & penes P. Guardianum in medio genuflexus incipit Pſalmum ſequentẽ, quem Chorus alternatim proſequitur.

Pſalmus 132.

ECce quàm bonum & quàm jucundum: habitare fratres in unum. Sicut

Digitized by Google

Sicut ungventum in capite: quod deſcendit in barbàm, barbam Aaron.

Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: & vitam úſque in ſæculum.

Gloria Patri: ſicut erat in pricipio,&c.

Abſoluto Pſalmo: Jubilarius cantat ſequentes verſus:

Verſ: Nè projicias me Domine in tempore ſenectutis,
Reſp: Cum defecerit virtus mea nè derelinquas me.
Verſ: DEUS docuiſti me à juventute mea.
Reſp: Et uſque nunc pronuntiabo mirabilia tua.
Verſ: Et uſque in ſenectam & ſenium.
Reſp: DEUS nè derelinquas me.
Verſ: Domine exaudi orationem meam,
Reſp: Et clamor meus ad te veniat.

P. Gvardianus ſurgens cantat.

Verſ: Dominus vobiſcum. *Reſp:* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui annum quinquageſimum non ſinè Myſterio Jubilæum appellare voluiſti; eodémque onera ac debita relaxare, & ſervitute oppreſſos libertate donare juſſiſti: tribue quæſumus huic famulo tuo N. toto corde poſcenti, anni Jubilæi gratiam, omnium delictorum remiſſionem, & culparum ſuarum relaxationem; ut primævæ innocentiæ reſtitutus, de virtute

Digitized by Google

tute in virtutem ambulet, & tandem hujus vitæ curriculo emenſo, cæleſtis gloriæ Jubilationem, & in domo tua non manu facta, perennem conſequatur manſionem. Per Dominum noſtrum.

Deinde P. Gvardianus ſuppedaneum Altaris aſcendens, benedicit P. Jubilario genuflexo, hoc modo:

BEnedicat te DEUS † Pater, qui te creavit in carne. Benedicat te DEUS † Filius, qui te redemit in cruce. Benedicat te DEUS † Spiritus Sanctus, qui te ſanctificavit in Baptiſmo. Benedicat te Beata Trinitas ſacri privilegio Jubilæi, & omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus; ut computeris in numero illorum, de quibus dictum eſt: Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. *Reſp*: Amen.

Hic intonat Hymnum: Te DEUM laudamus: *ſub quo omnes ſtant, & alternatim cantant*: *atque campana pulſatur. Finito eo P. Jubilarius ſtans cantat.*

Verſ. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu:
Reſp: Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
Verſ. Confirma hoc DEUS quod operatus es in nobis.
Reſp: A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.
Verſ. Domine exaudi. *Reſp*: Et clamor meus.
Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp*: Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS qui nos à ſæculi vanitate converſos, ad brávium ſupernæ vocationis accendis, pectoribus noſtris puri-

Digitized by Google

purificandis illabere, & gratiam perseverantiæ infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidijs, quod te donante promisimus: te adjuvante adimpleamus: & nostræ Professionis executores effecti, ad ea quæ in te perseverantibus promittere dignatus es, feliciter pertingamus. Per Dominum, &c.

Demum P. Jubilarius incensat SS. Sacramentum & cum eodem dat benedictionem.

Si autem Jubilarius fuerit Laicus, fit Processio ut supra; præterquam quòd Jubilarius solùm in pallio incedat: P. Guardianus verò ipsemet omnia dicit: Orationes & reliqua ipsi mutatis mutandis applicat, & curat renovare Professionem, benedictionémq; impertitur. Deinde Missam solemniter cum incenso celebrat; sub qua Jubilarius cõmunicat: eâ finitâ intonat: Te DEUM laudamus, *dicit cum versiculis orationem. Demum incensat SS. Sacramentum, & cum eodem dat benedictionem.*

CAPUT XXIV.

De Benedictione & Aspersione Aquæ benedictæ.

AQua benedicta, quâ diebus Dominicis Clerus & Populus aspergitur, inter Sacramentalia recensetur, multúmque efficax est ad fugandos Dæmones, & eorum virtutem enervandam: quæ singulis diebus Dominicis, vel ùt apud nos moris est, die Sabbati post Completorium ab Hebdomadario induto superpelliceo & stolâ violaceâ, benedicitur: quanquam etiam infra hebdomadam quoties opus est benedici possit. In quem finem Sacristanus aquam purissimam recenter haustam in vase idoneo & mundo, quod ordinariè cupreum intus stanno benè incrustatum, & in pelvicula salem nondum benedictum, parabit. Benedictionem persolvit, prout in Missali & Rituali Romano assignatur. De hac aqua benedicta, vasis lustralibus tam in Ecclesia, quam in Cho-

Digitized by Google

Choro, ab antiqua, mediante ſpongiâ, evacuatis & expurgatis, Sacriſtanus novam, toties, quoties per hebdomadam fuerit neceſsè, infundit; & diebus Dominicis poſt Veſperas omnium Fratrum vaſcula in Cellis aſſervata, veteri evacuata, & eluta replet.

II. Hebdomadarius Miſſam Conventualem ad finem Tertiæ, vel Sextæ, prout ratio Feſti requirit, celebraturus: (nec enim alius aſperſionem aquæ perficere debet, nisi qui conventuale Sacrum celebrat: prout definivit S. R. C.) indutus amictu, albâ, cingulo, ac ſtolâ in modum crucis ante pectus, ſinè Caſula & Manipulo (quæ duo à Sacriſtano ſic plicantur, ut Miniſtro ea Sacerdoti allaturo, ad portandum & induendum commoda ſint) præcedente Acolytho cum libro ad Altare procedit: non tamen citius, nisi poſt dictam in Choro orationem (& hoc ſemper quando Acolythus miniſtrat, obſervatur) ante illud genuflectit, Calicem ad Altare more ſolito reponit, & ad infimum gradum Altaris rediens in eo genuflexus expectet, donec totum officium abſolutum fuerit. Miniſter verò vaſculum aquæ benedictæ cum aſperſorio ex latere Epiſtolæ paratum, accipiens & ad cornu laterale infimi gradus genuflexus primùm quidem aſperſorium aquâ benedictâ tinctum, mox dextram Sacerdotis oſculans eidem porrigat: quæ tamen oſcula omittit, quando Venerabile Sacramentū eſt expoſitum.

III. Abſoluto Choro, & audito ſigno incipit: *Aſperges me.* Vel, *Vidi aquam*, adhuc genuflexus, etiamſi ſit tempus Paſchale, quod Chorus proſequitur, ipſe autem ſecretò perſolvit, Gavant: p. 4. tit. 19. lit. l. & ſtatim frontem Altaris ter aſpergit: videlicet primò in medio, deinde in cornu Evangelij, tertiò in cornu Epiſtolæ (quæ tamen aſperſio Altaris omittitur, quando Venerabile Sacramentum eſt expoſitum) poſteà aſpergit ſeipſum adhuc genuflexus: deinde ſurgit & aſpergit Miniſtrum: quo præcedente cum vaſculo, & Sacerdote ſubſequente intrant Chorum

Digitized by Google

rum ex parte Epiſtolæ, Sacramentum tranſiens genuflectit; deinde rectà ad ſuperiorem tendens & converſus, factâ eidem ante & poſt capitis inclinatione reverentiâ, aſpergit, deinde reliquos Sacerdotes, qui in dextra parte reperiuntur, unicâ aſperſione: poſteà exiſtentes Sacerdotes in parte ſiniſtra, poſt hos primò Clericos, deinde Fratres Laicos. Aſperſi verò aſpergenti caput inclinent; & ſi ſæculares in Choro ſunt, illi primò poſt Clerum aſpergantur, nisi eſſet aliquis Princeps, Gubernator, aut aliqua perſona majori dignitate fulgens. Princeps enim ante Superiorem aſpergi debet; alij dignitatis ratione ſervatâ, ante vel poſt Superiorem.

Quòd ſi in Presbyterio, aut Choro ſit aliquis S. R. E. Cardinalis, Archi-Epiſcopus, aut Epiſcopus, Sacerdos poſt Altare tertiâ vice aſperſum, ad locum ipſius accedat, eique aſperſorium prævià profundâ inclinatione, cum ſolitis aſperſorij oſculis primùm porrigat: & poſtquam Epiſcopus ſe ipſum, & poſteà Celebrantem aſperſerit, ab eo aſperſorium cum ijſdem oſculis recipiat, & profundè inclinatus redeat ad Altare, aſpergat Miniſtrum, deinde reliquos in Choro. Quod ſi prædictus S. R. E. Cardinalis, aut Prælatus innuat, ut ipſe celebrans aſpergat, tunc ante & poſt profundè inclinatus aſpergit. Si adſit aliquis Princeps, aut Principiſſa, in loco ſuæ temporalis jurisdictionis, nec habens ſe ſuperiorem, ante omnes aſpergitur.

IV. Peractâ in Choro Fratrum aſperſione, retrò Altare cum conſveta reverentia accedens cum Miniſtro expectat, donec *Gloria Patri* finiatur. Poſtremò ex parte Evangelij egreſſus, homines aſpergit: deinde ad medium Altaris regreſſus, factâ Sacramento genuflexione in infimo gradu ſtans, & aſpergillum Miniſtro genuflexo cum conſveto oſculo reddens, ab eóque tabellam cum inſcripta oratione accipiens, verſum & orationem ſtans decantat. Interim Miniſter intrat Sacriſtiam, & acceptâ ibidem Caſulâ competenter plicatâ, illam cum Manipulo Sacerdoti affert in-

Digitized by Google

induendam ad finem orationis: quibus indutus, Sacrum Conventuale inchoatur more solito.

Missa Conventualis semper est applicanda pro omnibus Fratribus & Benefactoribus, cujusvis Conventus, tam vivis, quàm defunctis ùt in Capitulo Generali Anno 1613. ordinatum fuit: & reperitur Registratum in libro Provinciæ. Hinc malè faciunt, qui se ab hac Missa sinè causa absentant, in qua oratur pro ipsis, & illi non comprecantur Sacerdoti & Familiæ pro ipsis orantibus.

CAPUT XXV.

DE Usu Superpellicei.

QUamvis prisci nostræ Religionis Patres, quos internus potiùs, quàm externus munditiæ candor delectabatur, superpelliceo in sacris Ministerijs usi non fuerint: attamen Patres Generalis Capituli Romæ celebrati, ut solemniora Altaris Ministeria ab ijs, quæ passim communia sunt, secernerentur, decreverunt superpellicei usum in solemnioribus quibusdam diebus, quibus vel thurificatio in Altaris Ministerio adhibetur, vel pax publicè in Choro datur, vel singulare aliquod Officium celebratur, velut his sacris actionibus decentissimum, admittendum.

II. Omnibus itaque diebus solemnioribus, quibus Altare thurificatur, item in Dominicis in quibus fit aspersio aquæ benedictæ, & pacis osculum datur, Clericus superpelliceo indutus, in Missa Conventuali ministret; obinde Sacristanus superpelliceum ad illud Chori latus ubi primus est Acolythus, in clavo ligneo aut ferreo ad hoc præparato extra appendat, ut suo tempore, quod est principium ultimi Psalmi illius Horæ, quæ canitur, indui possit. In defectu autem Clerici potest ministrare Laicus, attamen sinè superpelliceo.

III. Sunt præterea alij dies solemnes, in quibus singulare

Digitized by Google

aliquod agitur officium, aut peculiaris aliqua actio celebratur, in quibus Superpellicco utendum est: veluti in Vigilia Nativitatis Domini, quando canitur Martyrologium. In festo Purificationis B. V. M. quando benedicuntur Candelæ. In die Cinerum & Palmarum. In feria quinta, sexta & Sabbatho majoris hebdomadæ. In vigilia Pentecostes: In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum: In officio & sepultura Fratris defuncti; quando Missa celebratur coram Episcopo, aut Principe, vel ministratur Episcopo, aut alicui magno Ecclesiæ Prælato.

IV. Sacerdos quoque superpelliceo utitur, & stola, quoties aquam pro die Dominico, aut aliàs benedicit; quoties Sacramentum extra Missam in Altari exponit, aut expositum recondit: Quoties aliquid vel in Altari, vel in Sacristia benedicit. Præterea quando Sacramentum Evchariſtiæ, & Extremam Unctionem Infirmis ministrat, aut super infirmos sacras preces, aut commendationem animæ persolvit: vel exorcizat, aut conjurat nubes contra grandines. *Rit. Ord. lib. 1. c. 24.*

CAPUT XXVI.

De Thurificatione.

THus in Altaris ministerio adhibendum esse divinis & humanis testimonijs satis superque in Ecclesia probatum est. Etenim in Apocalypsi cælestes illi Spiritus thus ante divinum Altare adolebant. *Apoc. 8.* Judæorum quoque Ecclesia olim thurificatione in Altaris ministerio usa fuit. Demum pijs legibus ab Ecclesia institutum est; ut quibusdam solemnioribus diebus in Altaris Sacrificio thuris incensio fiat. Quinam autem censeantur solemniores dies, in quibus thus adolendum: Vide infra *Cap. 40.* Quibus etiam addi debent: Missa in primo & ultimo *Rorate* in quadraginta horarum Precibus, in ex- & repositione Venerabilis, in Exequijs Corporis defuncti præsentis, & Anniversario Fratrum Defunctorum.

II.

Digitized by Google

II. Demum quando dicitur Missa pro re gravi ùt fieri solet in die Electionis Ministri Generalis, & Provincialis tempore Capituli. In his ergò tantùm solemnioribus diebus celebrans Altare thrificare debet. *Ità Rit. Ord. lib. 2. cap. 25.*

III. Thuribulum cum navicula semper mundè servetur; thus verò incensandum debet esse boni odoris: quòd si aliquid de alijs thymiamaterijs admixtum sit; quantitas tamen thuris longè excedat, idque non sit in pulverem, sed frustulatim in minutulas particulas comminutum, & in navicula reconditum. Thus semper imponitur stando, etiamsi Venerabile sit expositum; quô casu tamen non benedicitur, nisi præter thurificationem Venerabilis etiam Altare incessandum foret. Itáque ut thurificatio Altaris competenter fiat sciendum Altare dividi in planitiem superiorem seu mensam, & frontem, qua se exhibet antipendium, seu pallium Altaris. Mensa seu planities Altaris dividitur iterum in partem anteriorem, & posteriorem: frons verò non dividitur, sed vocatur anterior pars simpliciter. Igitur quælibet pars planitiei tam anterior, quàm posterior, & frons Altaris triplici ductu thuribuli, ab utroque latere incensari debet. Ubi notandum, quòd non candelabra, sed posterior planitiei pars thurificetur triplici ductu, eo tamen loco, ubi distributa sunt candelabra, & tametsi ex quovis latere pauciora forent, aut plura quàm tria candelabra, adhuc tamen triplici ductu ex quavis Altaris parte incensandum esse. *Arnaud. tract. 1. tit. 4. n. 7.*

IV. Officium Clerici thus Sacerdoti ministrantis est, ut confessione absolutâ & dicto à Sacerdote *Oremus* ipse ex parte Evangelij ingressus, & factâ in medio Tabernaculi solitâ reverentiâ thuribulum manu sinistrâ, naviculam verò dextrâ accipiens, ad cornu Epistolæ accedit, ibíque priùs naviculam Celebranti offert, parúmque inclinatus versùs Celebrantem dicat: *Benedicite Pater Reverende.* Simúlque osculatur cochlear & manum Celebrantis, ante & post. Tum genuflexus operculum ad medias

Digitized by Google

dias usque catenulas attollat, & post impositum thus thuribulum clausum Celebranti, priùs summitate catenularum, & manu illius dextrâ osculatâ, tradat; advertat autem, ut in illius traditione ponat summitatem catenularum in manu sinistra Celebrantis, thuribulum verò in dextra illius: quod semper observare debet, quoties thuribulum Celebranti porrigit, vel de illius manu recipit: excipe nisi Venerabile sit expositum, tunc enim hæc oscula omittuntur.

V. Sacerdos verò dicto *Oramus te Domine*, & osculato Altari accedit ad cornu Epistolæ, & acceptâ à Ministro naviculâ, ter imponit thus in thuribulum, ad primam impositionem dicens: *Ab illo benedicaris*: ad secundam: *In cujus honorem*: ad tertiam: *Cremaberis. Amen.* Et deposito cochleari producit manu dextra signum crucis, apprehendens sinistrâ annulum, & dextrâ catenulas in medio, coram Tabernaculo SS. Sacramenti, coram quo apud nos semper fit incensatio, genuflectit, idque semper facit, quoties illud transit, licèt SS. Sacramentum non sit expositum; extremitatibus manuum super Altare positis, ut faciliùs genuflectere & surgere valeat. Elevato deinde thuribulo, ter incensat crucem trino ductu nihil dicens, neque in tota hâc incensatione, ità, ut ad quemvis ductum tantillum quiescat: & factâ iterum cruci reverentiâ, vel Tabernaculo genuflexione, incensat à cornu Evangelij, (si adsint) reliquias bino ductu simplici non duplicato: & mox iterum faciens reverentiam cruci, vel genuflexionem tabernaculo, simili modo incensat reliquias ex cornu Epistolæ, non est tamen caput inclinandum reliquijs, ad differentiam crucis, cui inclinari debemus. *Corsetti Tr. 1. p. 1. c. 10. n. 11.* Deinde prosequitur incensationem Altaris, & ex parte Epistolæ, prout distribuuntur candelabra, æquali distantiâ posteriorem planitiei partem triplici ductu incensat, à medio usque ad cornu Epistolæ, ubi dimissâ manu thurificat illius partem postremam inferiorem, mox superiorem. bis ducto thuribulo.

VI.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

VI. Postcà manum elevans ad Altare conversus, incensat partem planitiei, seu Mensæ Altaris anteriorem, ter ducens thuribulum lineâ transversali, quasi per semicirculos usque ad medium; ubi factâ genuflexione Tabernaculo, thurificat alterum Evangelij latus eodem modo, quo primum, nisi quòd incensando anteriorem planitiei partem per semicirculos non procedat ad mèdium, sed in cornu Evangelij consistens, peractâ Altaris incensatione, ejus frontem anteriorem triplici ductu ad medium usque incensat: ubi iterum factâ genuflexione reliquam frontis partem triplici ductu thurificat usque ad cornu Epistolæ; quæ omnia clariùs patent ex apposito schemate, in quo ordo ductuum in incensatione faciendorum per numeros indicatur.

VII. Minister verò sub incensatione stans in secundo gradu Altaris à tergo Sacerdotis, Casulam paululùm elevet, atque hoc modo thurificantem comitetur, easdem cum Sacerdote in transitu ad medium Altaris reverentias & genuflexiones perficiens. Peractâ incensatione ubi Sacerdos ad medium Altaris redierit, factâ reverentiâ, mox se confert ad cornu Epistolæ, & thuribulum cum osculo summitatis catenularum, & manûs celebrantis, ab eodem recipiat; deinde paululùm retrocedens, sinistrâ majorem thuribuli annulum tenens, dextrâ verò catenulas circa medium, factâ priùs humerorum inclinatione, triplici ductu Sacerdotem graviter incenset, ac denuò eandem reverentiam iterans, cum thuribulo ad medium Altaris cum solita reverentia revertens, ibi consistat thuribulum suo clausum operculo in utrámque partem vibrando usque ad principium Epistolæ; deinde ex parte Evangelij præviâ reverentiâ solitâ ingressus, reddit thuribulum secundo Acolytho retrò Altare, aut alteri fungenti officio in thuribuli præparatione.

VIII. Quod si Venerabile sit expositum, celebrans in cornu Epistolæ, impositò incensò cum benedictione (quia etiam Altare incensat) vadit ad medium Altaris, genuflectit in supremo illius

Digitized by Google

lius gradu, & accepto ibidem à Miniſtro thuribulo, factâ priùs profundâ reverentiâ, SS. Sacramentum triplici ductu graviter & morosè incenſat. Deinde iterum profundè inclinatus ſurgit, & factâ genuflexione reliquas incenſationes peragit, ùt ſuprà.

IX. Ad Evangelium, Miniſter translato ad cornu Evangelij Miſſali, acceptóque thuribulo, ad cornu Evangelij reverſus, naviculam iterum in Altari collocet, & genuflexus offerat thuribulum, ut ſupra. Celebrans verò, dicto priùs in medio: *Munda cor meum:* vadit ad cornu Epiſtolæ, imponit & benedicit incenſum, deinde factâ in medio convenienti reverentiâ tranſit ad cornu Evangelij, ubi dicto: *Sequentia S. Evangelij*: accipit à Miniſtro retrò genuflexo cum ſolitis oſculis thuribulum, & incenſat Evangelium, primò in medio, ſecundò à dextris, tertiò à ſiniſtris, ſimplici ductu: deinde Miniſtro thuribulum reddit: qui illud eodem modo cum oſculis, primò manûs, deinde ſummitatis catenularum recipit, & ſtans poſt Celebrantem illud in utrámque partem leviter agitat. Unde non benè fit, quod Miniſter ad cornu Evangelij ſtans, librum ſub Evangelio incenſat; hoc enim ipſius excedit miniſterium, eſtque officium ſolius Presbyteri, aut Diaconi. Finitô Evangeliô, ad cornu Evangelij Sacerdotem ter, ut ſupra, incenſat; poſteà ad medium Altaris reverſus, thuribulum uſque ad *Et incarnatus eſt*: leviter agitat & poſtmodum ut ante thuribulum refert.

X. Poſt offertorium ampullis vini & aquæ, cum oſculis & reverentijs debitis Sacerdoti oblatis, Miniſter thuribulum repetit, naviculam in Altari collocat, & genuflexus dicit: *Benedicite Pater Reverende*: Sacerdos verò in medio ſtans, ut patet ex Miſſali, ponit incenſum in thuribulum dicens: *Per interceſſionem, &c.* quam orationem ità diſpenſet, ut dum dicit: *Benedicere.* tertiam impoſitionem abſolverit, móxque repoſitâ ad Altare naviculâ, manu dextrâ producit ſignum crucis, ſuper thuribulum fumigans, ſiniſtrâ pectori admotâ. Tum accepto à Miniſtro thuribulo, nullam faciens

Digitized by Google

faciens reverentiam, etiamsi expositum sit SS. Sacramentum, thurificat oblata, ter ducens thuribulum super calicem & hostiam, in modum crucis lineâ rectâ, non autem quasi quatuor puncta designaret: deinde thuribulum ter circa calicem & hostiam, scilicet: bis à sua dextra ad sinistram, semel autem à sua sinistra ad dextram ducit, ità ut calicem circumeat, *ità Gavant. p. 2. tit. 7.* Dum autem oblata incensat, verba pronunciari solita ritè dispensat: nempe ad primam in modum crucis dicat: *Incensum istud.* ad secundam: *à te benedictum.* ad tertiam: *ascendat ad te Domine.* ad quartam & quintam: *Et descendat super nos.* ad sextam: *Misericordia tua.* His peractis, ubi Sacramentum est expositum, descendit ad supremum Altaris gradum, cum solitis reverentijs; si verò non est expositum, factâ coram tabernaculo genuflexione, incensat Crucem, & Altare, eo modo, quo supra dictum, interim dicens: *Dirigatur Domine oratio mea.* quæ verba tractim dicta dispensat, & distingvit, ità, ut eodem tempore, cum thurificatione finiat. Completâ incensatione reddit thuribulum Ministro ad cornu Epistolæ, & deinde ter à Ministro incensatur; junctis manibus, interim dicens: *Accendat in nobis, &c.* & non inclinat caput nec modicum quidem se incensanti. Quo peracto thuribulum refert, & ampullam aquæ cum pelvicula accipiens, Sacerdoti manus lavanti cum debitis reverentijs ministrat. Nec enim decorum est, ut Minister antequam thuribulum referat, sinistrâ thuribulum tenens, dextrâ aquam affundat: nihil enim dum Altare incensatur, super Altare stare debet, ad evitandum periculum impactûs.

XI. Finitâ Præfatione, accensisque ambabus candelis in majoribus candelabris, Minister thuribulum recipit, & ad medium Altaris reversus factâ reverentiâ geniculari, flectit in secundo gradu, & impositò à se thure absque benedictione, sinistra tenet tintinnabulum, ac dextræ catenulis manui circumvolutis trino ductu, tam in Hostiæ quàm in Calicis elevatione Sacramentum thuri-

Digitized by Google

thurificet, identidem ut moris est ad quamvis Sacerdotis genuflexionem pulsans, dimissóque post genuflexionem tintinnabulo ad elevationem sinistrâ casulam Sacerdotis apprehendit, & elevat; suppedaneum post singulas elevationes deosculans. Postmodum surgit, & repetitâ in medio geniculari reverentiâ, thuribulum reportat, & ad Altare reversus in infimo gradu genuflectit.

XII. Observet autem incensans, ut in hoc actu se graviter & devotè gerat, non personam, aut caput, dum thuribulum ducit, reducítque movens; sinistram firmam, stabilémque tenebit, dextram verò manum ac brachium, commodè ac tractim cum thuribulo movebit; ità, ut cum thuribulum ad se retrahit sub brachio, leviter & competenti mora reducat. *Corsetti tract. 1. p. 1. cap. 10. n. 6.* & dum procedit thurificando Altare, eundo & redeundo, tot omnino passus faciat, quot thuribuli tractus; ut manus pedésque in motu decenter concordent.

CAPUT XXVII.

De Pace danda.

PAcis osculum unitatis Christianæ symbolum, diebus Dominicis & Festis, ijs præsertim diebus, quibus Missæ solemnes celebrantur, non debet intermitti. Quando verò Pax in Missa danda est, præcipit Rituale Ordinis, ut Clericus in superpelliceo Missæ inserviat: publica enim ac solemnis actio Ministerij Ecclesiastici, ad Clericos pertinet: ideo ab his absque superpelliceo exerceri non debet. *Rit. Ord. lib. 3. c. 6. Vinit. p. 2. tit. 10. §. 16.*

II. Et cum apud nos Missæ solemnes, adhibito Ministerio Diaconi & Subdiaconi, non celebrentur; idcircò etiam apud nos Pax non datur per amplexus, sed per tabellam, seu instrumentum pacis, adhibito velo pro illo tergendo, quod colori Missæ con-

Digitized by Google

conveniat. *Gavant. p. 2. tit. 10. n. 3. litt, f.* quod priùs à Sacristano in Altari ex latere Epistolæ suo intectum velo collocatur.

III. Ritus dandæ Pacis in hoc consistit: Minister dicto, *Agnus Dei*, prævia Altaris & SS. Sacramenti reverentia, accipit tabellam Pacis, & à dextro latere Sacerdotis, genuflectens exspectat, donec ipse orationem pro Pace: *Domine JESU Christe*, terminaverit, & tum tabellam Pacis eidem osculandam porrigit: Sacerdos verò oratione absolutâ, & osculato priùs Altari, manibus ante pectus junctis, tabellam Pacis osculatur, dicens: *Pax tecum.* cui Minister respondet: *Et cum spiritu tuo.* & mox surgens, factâ Sacramento præsenti genuflexione, absque eo, quòd ipse tabellam Pacis post Sacerdotem osculetur, ex parte Epistolæ Chorum ingreditur, & post Altare in medio genuflexus statim Superiori absque ulla genuflexione aut inclinatione tabellam Pacis osculandam offert, dicens clarè: *Pax tecum.* ipso pariter respondente: *Et cum spiritu tuo.* Deinde tabellam velo tergit, & profundè se inclinat: exinde reliquis Sacerdotibus, primò Senioribus deinde Junioribus, ac tandem Clericis & Laicis idem instrumentum Pacis ut ante porrigit, nemini nisi post osculum caput inclinans; hoc enim observari debet, quòd Pacem dans, antè nulli se inclinet, sed post tantùm. *Rit. Ord. loc. cit.* Nulli quoque seculari in Choro flectenti detur Pax.

CAPUT XXVIII.

De Ritu Administrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

SAcerdotes, quibus ligandi & solvendi potestas à DEO demandata est, quique inter dispensatores Mysteriorum DEI Divino ac Ecclesiastico munere exoptati, magnopere curare debent: ut creditam clavium dispensationem, prudenter ac fideliter, ut tanta res postulat, pro dignitate exequi studeant, nè terribile illud DEI judicium audiant *Matth. 23. Væ vobis, quia claudi-*

Digitized by Google

tis Regnum Cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec intrantes finitis intrare.

II. Quamobrem qui ad Confessiones audiendas à R. P. Provinciali vel à R.R. P.P. in Capitulo deputati fuerint, injunctum sibi onus accuratè perpendant, sciántque, ex eorum prudentia vel imprudentia pœnitentium vitam, ac interitum æternum pendere: idcircò eâ scientiâ prædíti sint, quâ inter lepram & lepram dijudicare; peccata, ac peccatorum species discernere valeant. Denum quæcunque ad suum munus perfectè exequendum necessaria sunt, perspectissima habeant.

III. Deinde cùm sancta sanctè administranda sint, nec gravior DEO unquam injuria inferatur, quàm cùm Sacerdotum vitio Sacramenta polluuntur, & res Divinæ improbè administrantur. Idcircò caveant Confessarij, nè ad pœnitentiæ Sacramentum administrandum, crimine aliquo Lethali irretiti accedant, quod priùs vel oris confessione, vel animi saltèm pœnitudine non expiaverint, atque ità se ad hujus Sacramenti dispensationem disponant, ut ex eo abundantiorem gratiam referant.

IV. Antequam autem ad confessiones accedant eisdem consultum est, ut se suosq; pœnitentes DEO obnixè cõmendent, tantúmque cælestis gratiæ lumen, & auxilium in eo ministerio obeundo postulent; ut DEO primùm, tum sibi, deinde pœnitentium saluti satisfacere valeant: idque commodè fieri poterit, dicendo subsequentes Versiculos cum oratione, quam olim S. Carolus Borromæus suis confessarijs præscripsit. Videlicet:

Vers. Cor mundum crea in me DEUS.
Resp. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
Vers. Nè projicias me à facie tua.
Resp. Et Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me.
Vers. Redde mihi lætitiam salutaris tui.

Resp. Et

Digitized by Google

Resp: Et Spiritu principali confirma me.
Vers: Docebo iniquos vias tuas.
Resp: Et impij ad te convertentur.
Vers: Domine exaudi, &c. *Resp:* Et clamor meus, &c.
Vers: Dominus Vobiscum. *Resp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens & misericors DEUS, qui me indignum famulum tuum propter immensam misericordiam tuam Ministrum Sacerdotalis officij fecisti, mediatorémque ad orandum & intercedendum apud Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus constituisti; suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis tuis, qui ad pœnitentiam sunt venturi, ut des illis spiritum compunctionis, quô resipiscant à diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, & ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eundem Dominum nostrum, &c.

V. Hâc igitur præparatione præmissâ Confessarius ad ministrandum pœnitentiæ Sacramentum cum gravitate religiosa, devotione & oculorum mortificatione ad Confessionale accedat, non in illo jaceat aut alio modo incomposito se gerat; meminisse enim debet se à DEO Optimo Maximo scelerum judicem esse constitutum, ut cælesti gladio peccata confodiens pœnitentes judicialiter absolvat. Quapropter non stando, non genuflectendo, non jacendo, sed juxta Ecclesiasticas Sanctiones sedendo confessiones audiat, & pœnitentes absolvat, nihilque leve aut garrulum in confessione proloquatur; præsertim cùm DEI in eo munere personam atque auctoritatem præseferat.

Digitized by Google

VI. Pœnitens igitur, cùm ad pœnitentiæ Sacramentũ accesserit, & genuflexus benedictionem petierit, eidem sequentem impertiatur, dicendo: *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis: ut dignè & competenter confitearis peccata tua. In nomine Patris † & Filij & Spiritûs Sancti, Amen.* Deinde Confessarius faciem suam non ad pœnitentem convertat, sed caput alteram in partem inflectat, & capucio parumper contegat, nè ex obvio ipsius aspectu pœnitens verecundiam contrahat: quô facto incipit ipsius confessionem, præmissis præmittendis, attentè & accuratè audire, nihilque patiatur sub murmure incertum, aut confusè prolatum effluere. Ideóque ubi opus fuerit pœnitentem svaviter admoneat, ut clarâ ac intelligibili voce peccata distinctè pronuntiet, & si rudes ac illiterati fuerint, doceat etiam circumstantias, vel aggravantes, vel speciem peccatorum mutantes explicare.

VII. Peractâ confessione, si de aliquibus pœnitens sit admonendus, quæ vel ad confessionem, vel ad ipsius salutem pertinent, id graviter ac prudenter præstet: sin minus illum ad contritionem & dolorem de peccatis commissis, & simul ad firmum propositum se emendandi & peccata vitandi adhortetur, & post salutarem pœnitentiam injunctã absolvat: neque ullos extra salutis negotium cum pœnitente eo tempore sermones admisceat.

VIII. Cætera quæ ad Confessarij scientiam, munus, ac prudentiam spectant, quandoquidem apud plurimos Doctores copiosè exarata habeantur, hìc consultò præterimus: Id tamen Confessarios admonemus, ut Doctores seu Casuistas in hoc genere probatos sedulò pervolvant, quatenus ex eorum assidua ac diligenti lectione, quæ ad hoc Sacramentum ritè administrandum, utilia & necessaria sunt, faciliùs addiscant.

Postremò consultum est Confessario ut ex Confessionali recedens, Pœnitentium à se auditorum peccata DEO offerat, eíq; si quem errorem, aut defectum in administratione hujus Sacramenti cõmisisset humiliter corrigendũ cõmendet, veniámque postulet, sequentes versiculos cum oratione recitando. ℣. Sal-

Digitized by Google

Vers. Salvos fac servos tuos. *Resp.* Deus meus sper: &c.
Vers. Esto eis Domine turris fortitudinis.
Resp. A facie inimici.
Vers. Nihil proficiat inimicus in eis.
Resp. Et Filius iniquitatis non apponat nocere eis.
Vers. Domine exaudi,&c. *Resp.* Et clamor meus,&c.
Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

CLementissime Pater, qui humanam fragilitatem optimè nosti, negligentias, quas in hoc reconciliationis Sacramento, ego cum his famulis tuis ad te per pœnitentiam reversis commisi; quæso nè despicias, sed pietatis tuæ clementiâ deleantur per Christum Dominum nostrum. Amen.

CAPUT XXIX.

De probatioribus formulis Absolutionum.

Perspicuum est Confessarios non posse unam omnibus criminibus absolutionem impendere cùm multi interdum occurrant casus, in quibus variæ absolutiones variis temporibus, ac criminibus sunt accommodandæ. Quapropter probatiores Absolutionum formulas hoc loco addere consultum duximus, nè opus sit Confessarijs illas alibi quærere, sed pro indigentia in promptu habeant.

Forma Absolutionis ordinariæ.

MIsereatur tui omnipotens DEUS, & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Tum

Digitized by Google

Tum dextrâ versùs pœnitentem elevatâ dicat:

Indulgentiam absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster JESUS Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius, quâ fungor, imprimis te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (si Clericus sit pœnitens) & interdicti, in quantum possum & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis. In nomine Patris † & Filij & Spiritus Sancti. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. M. semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, vel mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Si Confessio fiat brevius & frequentius, vel magnus fuerit pœnitentium concursus, omitti poterunt: Misereatur, &c. Indulgentiam, &c. & inchoari à verbis *Dominus noster JEsus Christus, &c.*

Urgente verò periculo mortis, vel gravis necessitatis, sufficit dicere: Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis tuis. In nomine Patris, † & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.

Forma Absolutionis ab Hæresi in foro fori.

Postquam Hæreticus sufficienter in Articulis fidei instructus fuerit; adducatur coram testibus ad aliquod Altare; & si sit Hæreticus tolleratus in partibus Germaniæ non fiant aliæ cæremoniæ: verberationis &c. sed præmisso aliquo brevi sermone jubeatur facere sequentem Professionem fidei ex Bonagratia V. Absolutio n. 52.

Pro-

Digitized by Google

Professio Fidei Catholicæ.

EGo NN. ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem conversus, omnia & singula, quæ in sancta Synodo Tridentina definita, & statuta sunt, palàm recipio, & veram obedientiam Romano Pontifici spondeo, simúlque omnes hæreses à sacris Canonibus, & generalibus Concilijs, damnatas, & maximè eam, quâ (proh dolor!) irretitus fui, abjuro publicè, & detestor; profiteor quoque, & ore, & corde, eandem fidem, quam sancta Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia, & sacra approbata generalia Concilia, auctoritate Evangelicâ, & Apostolicâ tradiderunt. Spondeóq; & juro per Deum Omnipotentem me in unitate sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, communione Romani Pontificis, per omnia semper, & sinè dubio permansurum; nec non ab eadem, quorumlibet persvasionibus, vel quocunque alio modo nunquam discessurum, nec eis qui discesserunt, & imposterum discedent, consilium auxiliúmque, vel favorem, per me, vel per alium, seu alios, directè, vel indirectè præstiturum. Ità me Deus adjuvet, & hæc sancta ejus Evangelia.

Ein kurtze Bekantnüß des Catholischen Glaubens.

ICh N. N. bekenne und glaube von grund meines Hertzens/ samptlich und sonderlich/ alles so die hei-

Digitized by Google

lige Catholische/Apostolische/Römische Kirch befiehlet zu glauben; diesen Catholischen Glauben / ausserhalb welches einige Seeligkeit niemand iñer erwerben kan / wil ich glauben/ unverletzt (wils GOtt) biß in mein Grab vestiglich halten / und bekennen: und so viel an mir ist / daran seyn / daß er von meinen untergebenen vestiglich geglaubt/und behalten werde: verheisse auch und gelobe warhafftig Gehorsamb dem Römischen Pabst / als der da ist deß Heiligen Petri / der Aposteln/ Fürsten / Nachkommer/ und unsers Herrn JEsu Christi auff Erden Vicarius und Stadthalter. Ich verwerffe und verfluche zugleich alle falsche Lehr / Secten und Opinionen die von gemelter Römischen Kirchen bißhero verworffen und verflucht seynd / oder nachmahlen verflucht werden. Also helffe mir GOtt und alle seine Heilige. Amen.

Finitâ Professione Fidei Neo-Professus facit Confessionem Sacramentalem & Sacerdos ipsum absolvit formulâ sequenti.

Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c.

Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius & SS. Apostolorum Petri & Pauli, nec non Sanctissimi nostri Papæ N. mihi commissâ ab omni vinculo excommunicationis propter hæresim, in qua ab incunabulis vixisti, & incorporo te gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, communioni fidelium, & participationi Sacramentorum ejusdem Sanctæ Romanæ Carholicæ, &

verè

Digitized by Google

verè Apostolicæ Ecclesiæ: deinde eâdem authoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, † & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen.

Forma Absolutionis Sacramentalis Apostatæ à Fide.

Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.

DOminus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nec non Sanctissimi Domini nostri Papæ N. mihi commissâ, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quam incurristi propter Apostasiam à Fide, & restituo te gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, communioni fidelium, & participationi Sacramentorum ejusdem Sanctæ Romanæ Catholicæ, & verè Apostolicæ Ecclesiæ. Deinde eâdem authoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris † & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen.

Forma Absolutionis Religiosi Apostatæ extra Sacramentum.

Cùm Superior, sive Confessarius ex delegatione R.P. Provincialis Fratrem Apostatam ab Apostasiæ crimine absolvere voluerit; præscripta die Fratres ad Refectorium, (quo nos loco capituli utimur) convocentur, ibi pœnitens, nudatis humeris genuflexus ante aliquam sedem propè Superiorem, vel delegatum collocatam, dicat suam culpam. Superior verò vel delegatus acceptâ virgâ in dextra manu leviter super humeros percutit ad quemlibet versum Psalmi Miserere, *quem alternatim cum Fratribus adstantibus recitat: quô absolutô dicat:* Kyrie eleyson, *cæteris respondentibus:* Christe eleyson, Ky-

Digitized by Google

rie eleyſon, & *dicto* Pater noſter *ſub ſilentio, ſuperior vel delegatus intelligibili voce dicit ſequentia.*

Verſ: Et nè nos inducas in tentationem.

Reſp: Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac ſervum tuum,

℟. DEUS meus ſperantem in te, (mici.

Verſ: Eſto ei Domine turris fortitudinis. *Reſp:* A facie ini-

Verſ: Domine exaudi. *Reſp:* Et clamor meus.

Verſ: Dominus vobiſcum. *Reſp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, & hunc famulum tuum N. Fratrem noſtrum, quem vinculum excommunicationis conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde idem ſuperior, vel delegatus Apoſtatã abſolvat ſequẽti formâ.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſiús, ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Officiíque mei, ac Privilegiorum Ordinis quâ fungor (*quæ verba officij &c. à delegato omittuntur & loco ipſorum dicit:* nec non R. P, Provincialis mihi in hac parte commiſsâ) te abſolvo à vinculo excommunicationis, quam incurriſti ob Apoſtaſiam à Religione; & reſtituo te cõmunioni & unitati Fidelium, & Sanctis Sacramentis Eccleſiæ. In nomine Patris, † & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen.

Forma

Digitized by Google

Forma absolvendi ab excommunicatione Majori in foro Conscientiæ. Item dispensandi super irregularitate.

DOminus noster Jesus Christus qui est summus Pontifex, te absolvat, & ego authoritate ipsius mihi licèt indigno, concessa, absolvo te imprimis à Vinculo excommunicationis, quam incurristi propter (percussionem Clerici v. g.) & restituo te sanctis Sacramentis Ecclesiæ, cõmunioni & unitati Fideliũ (suspensionis si in ordinibus est) & interdicti in quantum possum & tu indiges & (si est irregularis) dispenso tecum super irregularitate quàm incurristi propter NN. & habilito te ad actus legitimos. Deinde ego tè absolvo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, † & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen.

Forma absolutionis tempore Jubilæi.

DOminus noster Jesus Christus per suam pijssimam misericordiam te absolvat, & ego de potestatis Apostolicæ plenitudine mihi pro hac vice concessa, absolvo te, quatenus possum, & debeo, ab omni vinculo excommunicationis suspensionis (si in ordinibus est) & interdicti, si quod incurristi. Et eâdem authoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis: iterum absolvo te ab omnibus pœnis in purgatorio debitis, & indulgentiam tibi concedo plenissimam virtute hujus sancti Jubilæi. In nomine Patris, † & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen.

Forma

Digitized by Google

Forma absolutionis danda Vocalibus in Capitulo ante Electionem. Habetur p. 2. c. 24.

Forma absolutionis generalis & plenariæ, quâ utuntur Superiores Regulares in visitationibus suorum Fratrum.

Mos est in Ordine nostro antiquissimus, ut Generalis, ac Provincialis Minister, sive ab ijs Visitatores delegati in visitatione Fratrum, juxta Privilegia à summis Pontificibus illis concessa, Fratres unà collectos, generaliter ab omnibus censuris, & pœnis Ecclesiasticis absolvant, ac in irregularitatibus, & inhabilitationibus, aliisque canonicis impedimentis dispensent. Qua absolutio, quanquam sacramentalis non sit, sed solùm jurisdictionis, ea tamen tanti ponderis est, ut à casibus Papalibus, ac reservatis omnem reservationem, ac præsentationis vinculum auferat, si ex Fratribus quispiam in eos vel ignoranter inciderit, vel eorum tunc temporis memor non esset. Addè quòd eodem tempore Generalis & Provincialis Minister suis subditis Indulgentiam plenariam ijsdem Privilegijs suffragantibus concedere valeant. Quare ubi Fratres omnes coram ipsis genuflexi, dixerint Confiteor, &c. *absolutionis beneficium illis sub hac forma impendant.*

Parcat vobis Deus.

Per aspersionem Sangvinis Domini nostri Jesu Christi, & per merita Beatæ Virginis Mariæ, Seraphici Patris Nostri Francisci, omniúmque Sanctorum atque Sanctarum.

Misereatur vestri, &c. Indulgentiam, &c.

Dominus noster Jesus Christus per suam pijssimam misericordiam vos absolvat. Et ego authoritate ipsius, & Officij mei, & Statutorum, ac Privilegiorum Ordinis, quâ fun-

Digitized by Google

fungor, vos omnes absolvo, ab omnibus sententijs, generalibus, & specialibus, à jure, vel ab homine latis; nec non ab omnibus censuris, excommunicationis majoris, vel minoris, suspensionis & interdicti, si quas quomodocunque incurristis, & restituo vos sanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, ac Fidelium unitati. Item eâdem facultate dispenso vobiscum super omnibus irregularitatibus, inhabilitationibus, & alijs pœnis Ecclesiasticis, ex quibuscunque causis eas fortâsse sæpius etiam contraxistis. Aboleo etiam à vobis omnem maculam infamiæ undequaq; contractæ, vósque imposterum habilito, atque restituo ad pristinos statuum vestrorum gradus, & ad omnes actus legitimos, tum Ordinis tum jurisdictionis ad omnia officia, & Religionis nostræ beneficia. Demum eâdem authoritate absolvo vos ab omnibus peccatis vestris, & plenariam de illis concedo vobis indulgentiam, juxta formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ consvetam. In nomine Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Ite in pace & nolite ampliùs peccare, & orate Deum pro me.

Formam Absolutionis generalis, quæ dari solet Fratribus in Articulo mortis. Vide infrà. c. 42. n. 9.

CAPUT XXX.

De modo scribendi Romam pro dispensatione casuum ad sacram Pœnitentiariam pertinentium.

Cum

Digitized by Google

CUm ſæpius contingat Confeſſarios noſtros habere Pœnitentes cum caſibus, pro quorum abſolutione ſeu diſpenſatione Romam ad Sacram Pœnitentiariam recurrendum. Placuit proinde hic brevem aliquem modum ſeu formam recurrendi annectere.

II. Si itaque aliquis pœnitens cum tali caſu Confeſſarium acceſſerit, examinet illum diligenter, curétque ſibi totam rem ſincerè aperiri: obſervet genus Cenſuræ; ſcrutetur etiam facti circumſtantias. Item inquirat de pœnitente; an ſit vir aut fœmina; an Laicus aut Clericus; an Regularis aut ſecularis; an Sacerdos vel in Ordine ſacro, aut ſimplex. Item appellet genus Cenſuræ incurſæ, & caſum ex quo incurſa eſt, an publicus vel occultus; & circa irregularitatem videat, an ex delicto & ex quali delicto cum ſuis circumſtantijs: an ex defectu, & ex quali defectu: an ex homicidio, aut mutilatione; an ex violatione Cenſuræ. In Matrimonijs inquirat quale ſit impedimentum, an revera occultum: an de contracto vel de contrahendo Matrimonio agatur: Item quid cauſæ allegetur pro diſpenſatione obtinenda: idem fiat pro votis, videlicet quid cauſæ pro commutatione, & ad quem effectum; præſertim verò de Clerici percuſſore inquirat, ſi quis ad Urbem accedere non valeat.

III. Habitâ ergo verâ totius cauſæ notitiâ, ſcribat caſum in charta cum dictis circumſtantijs, & cauſis, omiſſis inutilibus, reticito etiam nomine & cognomine Pœnitentis (quamvis nullum periculum ſit rem & perſonam prodendi) niſi fortè ageretur de Cenſuris inflictis contra publicos Clericorum percuſſores, & duellantes in publico; tunc enim nomen, cognomen & diœceſim exprimat; in occultis verò per ſimplex N.N. proceditur: deinde caſum ſic deſcriptum directè mittat per poſtam Romam Majori Pœnitentiario, in hunc modum ei caſum proponendo:

Eminentiſ-

Digitized by Google

Eminentissime & Reverendissime Domine.

N. Sacerdos contraxit irregularitatem ex homicidio occulto, ab eo, ob talem vel talem causam clam tali modo patrato, vel procurato in persona hominis Laici, ab eo tempore non abstinuit ab exercitio Ordinum, vitandi scandali causâ, vel nè se proderet, sive abstinuit, sed cum diu absque scandalo abstinere non possit, humillimè supplicat pro remedio.

Alius casus.

N.N. Contraxit Matrimonium cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverat, conscius vel nescius impedimenti, (quod occultum est) quare cum absque scandalo separari non possint, humillimè supplicat pro remedio.

Adhuc alius.

NN. Mulier emisit votum castitatis perpetuæ, sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, humillimè supplicat pro dispensatione ad effectum nubendi. *deinde terminet Epistolam seu Supplicationem sic:*

Dignetur Eminentia vestra rescribere & per postam ad me, NN. Confessarium non graduatum Breve seu gratiam dirigere, ad Civitatem N. Regionis N. deinde addat datum in Civitate N. die N. Mense, Anno. mittátque Epistolam seu Supplicationem Romam cum sequenti inscriptione:

Eminentissimo & Reverendissimo Domino Domino
Cardinali Majori Pœnitentiario.
Romam.

IV. Quod si aliquando tardaverit responsum Eminentissimi Majoris Pœnitentiarij; tunc poterit Confessarius iterum ei scribere, ut si fortè fuit deperdita prima Epistola, altera ad manus Eminentissimi Majoris Pœnitentiarij perveniat, & non dubitet de responso.

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

De Communione distribuenda.

CONstitutiones nostræ præcipiunt, estque praxis nostræ Religionis; ut nostri Fratres bis in hebdomada, videlicet die Dominicâ & die Jovis (nisi occurrentium Festorum ratio, ut tempore Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes &c. id sæpius, aut alijs etiam diebus, juxta prudens Superioris dictamen, fieri oporteat) sacra synaxi reficiantur; & qui frequentiùs sanctissimo Domini Corpore saginari cupiunt, id liberè cum Superioris benedictione, ubi id in majorem Spiritûs profectum cedere adverterit, præstare poterunt. Debet autem Fratrum Communio fieri in Missa conventuali, ijs præcisè exceptis, qui legitimè sunt impediti, ut sunt Frater Janitor, & Frater Coquus, qui in primo Sacro communiter communicant. Excipitur tempus Adventûs in nostra Provincia in quo sub *Rorate* Fratres nostri solent communicare.

II. Præmissâ à communicaturis confessione peccatorum suorum, studeant Fratres nostri sub Sacrificio Missæ, non tam vocali oratione, quàm potius mentali contemplatione hujus Eucharistici epuli, actibus fidei, spei, & charitatis, contritionis, humilitatis, ut antecessoribus nostris in usu fuit, sese condignè disponere ad condignam Dominici Corporis participationem. Certum enim est, majorem vel minorem Religiosorum profectũ potissimùm ex digniori, vel minùs digna Sacramenti hujus perceptione pendere.

III. Quandocúnque Fratrum fit communio, semper quatuor candelæ, nisi solemnitas Festi plures exigat, & ad *Sanctus*, ambæ in majoribus candelabris accenduntur. Finito *Pater noster*. Minister, qui semper tempore Communionis Fratrum, debet esse Clericus, velum Communionis, quod debet esse mundissimum, supra

Digitized by Google

supra basim utriusque majoris candelabri, ut aliquantisper in arcum defluat, appendit; & nisi pax sit danda, postquam Sacerdoti ante *Agnus DEI* respondit, Chorum ingreditur, cum reliquis Fratribus culparum deprecationem peracturus.

IV. Absoluto à Sacerdote *Domine non sum dignus:* omnes Fratres communicaturi in Choro genuflexi, & profundè inclinati generalem faciant culparum & defectuum suorum ad invicem voce intelligibili deprecationem, juxta morem Religionis receptum. *Rituale Ord. lib. 3. c. 27.* Et si quis particulari alterius offensâ laboraret ad Altare non accedat, nisi particulariter cum ipso reconciliatus, juxta illud Evangelij. *Matth: 5. Vade prius reconciliari Fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Deinde acceptâ à Superiore benedictione, quini, vel quaterni, primò Seniores, deinde juniores Clerici, & Laici, ad sacram Synaxim ad cornu Evangelij exeant, priùs tamen acceptâ aquâ benedictâ in forma crucis, & factâ retrò tabernaculum in medio conveniente reverentiâ. Sint autẽ solliciti ut habitu competenter cõplicato, manibus intra manicas recondjtis, nudis pedibus, pallio deposito, capucio accomodato, oculis demissis egrediantur: recogitantes se manducaturos Sacrum illud convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Unde exitus non fit gradu nimis accellerato, sed gravis, nec unus ab altero sejunctus sit, nisi in distantia moderata.

V. Egressi, primus qui semper est Minister, nisi sit Sacerdos in stola, qui communicaret, ad magnum candelabrum in cornu Epistolæ capiat stationem in infimo assere, & expectet donec reliqui sequentes eandem teneant lineam: & tunc manibus ante pectus conjunctis, unà simul profundam ante Altare faciant reverentiam, & genuflectant, supra manus velum communionis elevantes & exspectantes donec celebrans sanctissimum Sangvi-

Digitized by Google

nem sumere incipiat, tum Minister, vel commmunicans dicit: *Confiteor*: intelligibiliter, ad quod omnes se profundè inclinant, tam illi, qui extra genuflectunt, quàm qui adhuc in Choro remanent. Ad, *meâ culpâ*, ter pectus pulsent, & sic maneant inclinati, donec Sacerdos pronunciaverit absolutionem: *Misereatur vestri*, & *Indulgentiam*: nisi extrahendo Ciborium & particulas imponendo, mora intercederet, quo casu se erigunt.

VI. Postquam Minister absolvit Confessionem generalem, Sacerdos calicem ponat in parte sinistra corporalis, & pallâ cooperiat. Tum factâ genuflexione, clave inter indicem & mediũ digitum acceptâ, adhibito etiam à Ministrante scabello, si opus fuerit, aperit ostium Tabernaculi, extrahit Ciborium, reponit super corporale, & imponit particulas, si quæ consecratæ sunt, eâ dexteritate, nè particula decidat, & extra corporale devolvatur. Vel si pauci sunt communicandi, accipit illas super patenam, & iterum genuflectens, manibus junctis se ad cornu Evangelij retrahit, & ad Fratres, vel populum commnnicandum conversus, dicit: *Misereatur vestri: & Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum*: etiamsi tantùm unica persona sit communicanda. Et dum hoc dicit, manu dextrâ crucem faciat super communicandos, sinistrâ interim pectori admotâ. Monet quidem Rituale Ordinis: ut Fratres omnes, Sacerdote proferente: *Indulgentiam*, se signo crucis muniant; verùm nemò Ritualistarum hanc à communicandis crucem exigit, sed Sacerdoti id præscribitur.

VII. Posteà ad Altare conversus genuflectit, & quando multi sunt communicantes, nodum Ciborij circumvolvit purificatorio, quod consulit Vinitor. *P. 2. tit: 10. in distrib. S. Communis* §. 7. vel alio mundo linteolo quod svadet *Lohner p. 2. tit. 26. n. 3.* pro digitis à communicantium saliva madentibus abstergendis, cui indecens videtur adhibere purificatorium in hunc finem quod præcisè ad Sacrum Christi sangvinem vel vinum cum eo

Digitized by Google

eo mixtum abstergendum ab Ecclesia deputatum est. Tunc accipiens sinistrâ Ciborium vel patenam cum Sacramento, junctis sibi digitis canonicis, dextrâ verò unam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet, ac aliquantulum super Ciborium, aut patenam elevans, ad communicandos se convertit, & oculis ad Sacramentum defixis, dicit: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.* Deinde dicit ter: *Domine non sum dignus:* non addens Jesu Christe. Sive dicat latinè, sive quod in consolationẽ communicandorum fieri solet, in Germania, germanicè: nec loco: *sub tectum meum*, dicat: *in cor meum*: quod Fratres communicandi secretò proferunt; & ad *Domine non sum dignus*, pectus percutiunt. Quibus finitis, accedit Sacerdos ad cornu Epistolæ, & tribus digitis posterioribus inflexis, & quasi intra manum plicatis, apprehensâ particulâ, super Ciborium, vel patenam, & non extra, crucem faciat, simul dicens: *Corpus Domini nostri JEsu Christi, custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.*

VIII. *Pax tecum*, quod Episcopale est, nullatenus addendo, juxta Vinit. & Lohner *loc. cit.* & sic cum reliquis prosequitur comunionem; advertens nè, ubi Sacramentum esset expositum in Monstrantia, tergum illi obvertat. Fratres comunicandi, non ore vix aperto, aut lingvâ planè extra labia extractâ; sed capite in altũ erecto, ore mediocriter expanso, ac lingvâ intra labia porrectâ velum ad mentum contrahentes, se ad comunionem appositè disponant. Receptâ sacrâ Hostiâ, caput modestè meditabũdi dimittant, & Sacramentales species non statim dentibus premant, aut concidant, sed paulatim in lingva emolliri patiantur, donec salivæ vehiculo in stomachum transmittantur: non tamen eóusque in lingva conservẽtur, donec in humorẽ mediante salivâ resolvantur: ad hoc enim, ut percipiatur fructus Sacramentalis Evchariſtiæ, debet sacra Hostia manducari, hoc est in stomachũ trajici. Omnibus secundũ ordinem communicatis, surgant, & ante Altare unà simul profundè inclinati, recedant, & manibus intra manicas reconditis, per latus Epi-

Digitized by Google

Epistolæ ad Chorum revertantur: quorum primus dum ostiolum Epistolæ ingreditur, reliqui Fratres adhuc communicandi ex parte Evangelij succedunt, & eodem ordine & ritu, præterquam, quod *Confiteor* non dicant communicantur & ad Chorum revertuntur. Caveant autem nè oram planetæ Sacerdotis, loco veli communionis, quod plerúmque illi, qui ex latere Evangelij genuflectentes, sacram communionem contra ordinem recipiunt, facere solent, adhibeant. *Rit. Ord. cit.* Nec tàm citò in terram exspuant, quod valde indecens est; si tamen quis cogatur, non in terram ubi conculcetur, sed in sudariolum aut calcem, in quo facilè exsiccetur exspuat. Adhibenda est etiam ratio, utrùm sputum ex capite descendat, an verò ex pectore: nam hoc plus periculi & irreverentiæ continet. *Vinit. p. 2. tit. 10. §. 36.*

IX. Studeant præterea Fratres nostri, sacrâ Communione, refecti, postquam ablutionem in vase vitreo, quam illis secundus præbet Acolythus, flexis genibus, excepto die Jovis sancto, acceperint, in se ipsos introversi, intrare cubiculum cordis sui, immensam Divinæ benignitatis Magnificentiam profundâ cogitatione apud se ruminare, ardentissimis quoad fieri potest, desiderijs se ipsos accendere, atque iteratis affectibus in Christum transfundere, ut illud Apostoli *ad Galat. 2.* verè usurpare queant: *Vivo ego, jam non ego. vivit verò in me Christus.* quod vel maximè præstatur mentali cum Christo colloquio, & cordis affectibus. Unde non tam citò Fratres nostri, quod à Definitione salubriter cautum est, ad vocales orationes deflectere, aut 5. Pater noster & Ave Maria expansis brachijs pro lucrandis Indulgentijs orare, sed pijs tanti Mysterij meditationibus, è quibus plus fructûs spiritualis eruitur, sese impendere debent. Si verò non essent dispositi mentales affectus elicere, satiùs foret ex libello orare, quàm sinè ullo affectu aridos perseverare, cùm experientiâ constet, plures non esse idoneos mente orare: quibus, si vocales preces prohiberentur, sinè aliqua devotione communicaturos.

X.

Digitized by Google

X. Communicatis Fratribus, ubi etiam sæculares essent communicandi, illis regulariter, nisi fortè ob eorum paucitatem ad gradus Altaris admitterentur, Communio ad cancellos porrigitur. unde Sacerdos postquam ultimi Fratres communicantes velum communionis decenter removerint, ex Altari descendens, & ad communicandorum dexteram, hoc est ex latere Epistolæ accedens, unicuique dat Sacramentum sumendum usque ad ultimum ex latere Evangelij; & quoties opus est revertitur, incipiendo eodem ordine à latere Epistolæ. Si Sacramentum in Altari esset expositum, ità vertat corpus, nè eidem tergum obvertat, & in reditu ad cornu Epistolæ, aliquam Sacramento exposito faciat reverentiam, capitis inclinatione. Minister ablutionem porrigens communicatis, dextrâ poculum vitreum propinat, sinistrâ verò candidum linteolum, & modicum in extremitatibus ornatum gestans, quo communicans labia, Minister verò poculum eâ parte, quâ Communicans ablutionem sumpsit, abstergere possit: & cum tot ex eodem vase bibant, nè delicatioribus nausea excitetur, poculum sensim in orbem vertendum, sæpiúsque abstergendum erit. *Vinit. loc. cit. §. 13. & 19.* Nec nimium festinet in danda ablutione, ijs, qui vix sacram Hostiam sumpserunt, sed tres minimum sint intercalares à communicante & sumente ablutionem.

XI. Communione sæcularium absolutâ, Sacerdos ad Altare revertens, adhuc diligenter digitos conjunctos super Ciborium aut patenam teneat, eósque inspiciat, an non ijs aliqua particula adhæreat, quos solito more expurget, & Ciborium suo operiat operculo (quod semper palliolo vestitum sit) & cum solita reverentia reponat ad Tabernaculum, absque eo, quod benedictionem det populo cum Venerabili, cum proximè populum sit benedicturus in fine Missæ. *Gav. Vinit. Lohner loc. cit.* Et tametsi in Missis defunctorum, in quibus regulariter non debet distribui Communio, sed post Missam depositis nigris, & assumptâ stolâ albâ: nihil-

Digitized by Google

nihilominus, si rationabili de causa eadem distribuatur, nequaquam debet dari benedictio cum Venerabili etiamsi ad finem Missæ Sacerdos populum non sit benedicturus *Vinit. hic* §. 21. quod intelligitur, si Communio distribuatur in ipsa Missa; aliter dic, si post Missam distribuatur, vel etiam ante illam; quanquam regulariter nemini debet dari ante Missam Communio, à Sacerdote mox celebraturo: quod tamen si fiat ex rationabili causa, post distributam Communionem, antequam Sacerdos incipiat sacrum, debet dare benedictionem, quia adhuc est extra Missam; tametsi in fine eandem daturus esset benedictionem; potest enim contingere, quod illi, qui communicant, non sunt audituri Missam sequentem *Vinit. loc. cit.* §. 25. Consultiùs autem est, ut Communio intra Missam distribuatur; sic enim communicantes fiunt participes orationum, & fructûs exinde provenientis, cum illæ orationes, quæ post communionem à Sacerdote proferuntur, non solùm ad Sacerdotes, sed etiam ad communicantes spectent, illis magno sint adjumento. *Corsetti p. 2. c. 4. n. 12.* Quando tamen magnus esset numerus communicantium, nè protractio Missæ audientibus reddatur onerosa, illa post Missam potest distribui, & tunc digiti in fine distributionis in vase communicantium, quod ei Minister genuflexus porrigit, debent abluì, & vinum illud cõmunicandis offerri, & quod reliquum est in sacrarium fundi.

XII. Quod si Ciborium sit purificandum, quod singulo octiduo fieri debet, intra Missam ante Calicis purificationem purificabitur: collectis nimirum in ejus fundo diligentissimè cum indice manus dextræ omnibus fragmentis, & cum eodem indice sumi poterunt, vel parumper madefacto per halitum, vel fragmẽtis ad labium Ciborij deductis, & ore admoto, ità ut nullum remaneat fragmentum. Deinde infundi potest paululum vini, quo circumacto intra Ciborium, tergendo indice tota pars interior abstergatur *Corsetti tract. 2. p. 1. sect. 1. n. 26.* quo hausto (vel ut alij faciunt, fuso in Calicem, nè opus sit novam Calicis purificatio-

Digitized by Google

tionem sumere) exsiccabitur interius purificatorio, & consecratæ particulæ ad illud reponantur. Renovari autem debet SS. Sacramentum ab Hebdomadario singulis diebus Dominicis, prioribus particulis reverenter absumptis. Ubi verò particulæ consecratæ remanerent in Altari usque ad finem Missæ, & tum primò reponerentur ad Ciborium, ea omnia, tam in recessu, quàm accessu ad medium Altaris, & lectione ultimi Evangelij observanda sunt, quæ alibi, quando SS. Sacramentum est expositum, observari debere, notata sunt. Pulsat autem Minister tintinnabulum, tam in expositione, quàm repositione Ciborij, sicut etiam quando se Sacerdos ad populum vertens, dicit: *Ecce Agnus DEI.*

XIII. Sacerdos extra Missam populum communicaturus, induatur superpelliceo in Sacristia, & stolâ coloris officio diei convenientis. Postquam candelæ in Altari accensæ sunt, acceptâ bursâ cum corporali & purificatorio, egreditur, & factâ ante Altare genuflexione, parumper orans, ascendit, expandit corporale, aperit ostium Tabernaculi, extrahit Ciborium, & ut supra populum communicat. Quo peracto, ubi omnes communicaverint, monet Rit. Rom. debere dici in reditu ad Altare: *O sacrum Convivium, &c. ℣. Panẽ de cœlo præstitisti eis, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c.* & orationem: *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili, &c.* Tempore verò Paschali debere addi: *Alleluja* ad Antiphonam, & versum; orationem verò dici: *Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde: ut quos Sacramentis Paschalibus satiásti, tuâ facias pietate concordes. Per Dominum nostrum.* Quæ tamen preces à paucis saltèm clarâ voce recitantur.

XIV. Deinde diligenter advertat, an aliquod fragmentum digitis adhæserit, ut illud in Ciborium deponat; illos, quibus tetigit Sacramentum, digitos purificat, vinúmque vel communicantibus offeratur, aut in sacrarium fundatur; non autem, ut abusus est, in Cellarium reportetur; postea prævià genuflexione, præscribit Rit. Rom. debere reponi Sacramentum in Tabernaculum,

Digitized by Google

eóque clave obſerato, Sacerdotem extensâ manu ad communicatos converſum, benedicere formando Cru † cem ſuper illos,& dicere: *Benedictio DEI Omnipotentis Patris † & Filij & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.* Verùm in his partibus uſus eſt, ut hæc crux formetur ante repoſitionem cum ipſo Sacramento ſeu Ciborio: ad quam benedictionem aliqui prædicta verba Benedictionis étiam addunt; verùm rectiùs omittuntur, ob præſentiam Venerabilis Sacramenti.

XV. Sacerdos diſtributurus populo Communionem, alio jam celebrante in Altari majori conſtituto, eâ utatur dexteritate, ut Sacerdotem celebrantem non impediat, ut quæ ante cõmunionem vocaliter præmittenda, fractâ & ſubmiſsâ voce perſolvat. Ubi in majori Altari, vel minori laterali fieret conſecratio & Elevatio, pauliſper ſubſiſtat, donec Conſecratio & Elevatio utriúſq; ſpeciei peracta ſit: attamen ſtans & non genuflexus; aliquâ tamen capitis pronioris ſubmiſſione: deinde pergat diſtribuere, & tum poſt peractam Cõmunionem, Sacramentum reponat ad Altare cum ſolitis reverentijs, Sacerdos Celebrans exſpectet cum ſuis actionibus, donec Sacramentum repoſitum ſit; ipſe verò qui diſtribuit Sacram Communionem, alio Sacerdote in Altari celebrante, abſtineat à benedicendo populo, niſi fortè in Altari ſeparato reponat SS. Sacramentum. *Vinit. p. 2. Tit. 10. §. 14. 15.* Abuſus eſt, Hoſtiam majorem ex Monſtrantia in quatuor partes diviſam reponere in Ciborium, & exinde populum communicare; hæc enim à ſolo Sacerdote, Sacrum proximum faciente, poſt ſacri Sangvinis ſumptionem, conſumenda eſt. *Gav. p. 2. tit. 10. lit. I. Vinit loc. cit. §. 11. Corſetti tract. 2. p. 1. ſect. 1. n. 24.*

CAPUT XXXII.

De Ritu recipiendi Epiſcopum & Imperatorem, & quomodo Miſſa coram illis legenda.

Archi-

Digitized by Google

ARchi-Episcopo, vel Episcopo ad Ecclesias nostras, quod frequenter in precibus quadraginta horarum, aut aliàs in Festis Ordinis nostri contingit, venientibus; Superior cum Fratribus ad fores Ecclesiæ, aut Monasterij, ubi intrare voluerit, in ordine stantibus, ejus adventum præstolabitur. Clerico aspersorium cum aqua benedicta habente ad manus, nisi ipse Cæremoniarius Episcopi argenteum aspergillum præsentaverit: quò cùm Episcopus pervenerit, Superior genuflexus aspergillum cum osculo manûs Episcopo porrigit, à quo omnes genuflexi aspergantur, & in Adventu campana Ecclesiæ pulsanda est. *Rit. Ord. lib. 1. cap. 9.*

II. Perprius autem in Oratorio, vel alio loco opportuno, quò Episcopus ducendus, paretur faldistorium mundo stratum tapete, & instructum pulvinis, tam ad genuflectendum, quàm incumbendum: & convenit etiam pavimentum, in quo locandum est faldistorium, tapete integere; nisi hæc omnia, ut ordinariè fit, per Capellæ Episcopalis Servitorem antea præpararentur. Caveat autem Sacristanus, nè ijs rebus utatur pro ornatu, quæ Altaris ministerio deserviunt. Altare autem, coram quo Episcopus auditurus Sacrum, ornetur mundiùs & solemniùs, præsertim si ipsemet Episcopus in eo celebraturus sit; quo casu parvula Credentia ex parte Epistolæ competenter vestita statui debet, & sex candelæ in Altari accendendæ.

III. In Adventu Imperatoris similiter Fratres ordinatim ex utroque latere stantes in loco accessûs: Superior verò, vel alius in Conventu dignior, superpelliceo & stolâ coloris officio convenientis indutus, cum aspersorio aquæ benedictæ expectent advenientem, tum prævia profundâ reverentiâ geniculari, illum aspergit: deinde Imperatricem, Archi-Duces, & Archi-Ducissas, repetitâ post aspersionem reverentiâ geniculari. Et tum per seniores & digniores quosdam Patres ad locum Oratorij, qui mundissimus & convenienti ornatu paratus sit, comitandus. Idem

Digitized by Google

fit Imperatrici Viduæ, aut Supremo Principi illius territorij, in quo est Conventus.

IV. In discessu Episcopi, Imperatoris, &c. Fratres iterum in ordine ad januam congregati cum Superiore (nisi hic fortè ad finem divinorum officiorum humillimam pro visitatione Ecclesiæ, gratiarum actionem repensurus, ad Oratorium expectaret, & discedentem prosequeretur) discedenti iterum profundam faciunt reverentiam, imò genuflexi Episcopalem petunt benedictionem. Quod ut competenter fiat, Fratres pridie à Superiore admoneantur, & adveniente Episcopo aut Imperatore, ad januam Ecclesiæ, aut Monasterij repetitis Campanæ Monasterialis ictibus convocentur.

V. Solet etiam quandoque Imperator, aut Episcopus in nostris Refectorijs prandium sumere; quocirca aliquis cordatus & Cæremoniarum peritus Sacerdos pro facienda benedictione à Superiore constituatur, qui ex reverentia, & respectu tanti Monarchæ aut Episcopi, nullo metu percellatur: fit autem in præsentia Imperatoris, Benedictio Mensæ & gratiarum actio expeditior solitò. In præsentia Episcopi Sacerdos, post *Pater noster*, dicto, *Oremus*, facit reverentiam genicularem, ut in his partibus moris aut inclinando se profundè erga Episcopum, quasi licentiam ab illo benedicendi petens, & deindè prosequitur dicens: *Benedic Domine nos, &c.* Clericus verò in medio Refectorij dicendo: *Jube Domne benedicere*, facit quoque profundam Episcopo reverentiam, qui deinde ipsemet dicit: *Mensæ cœlestis participes*: vel si sit Cœna: *Ad Cœnam vitæ æternæ*: Quod si Episcopus id non dicat, dicit Sacerdos; & deinde Clericus quod reliquum est prosequitur. Præterea in præsentia Imperatoris, Superior constituat Sacerdotem, qui Fercula prima capucinica, ut hactenus consvevit fieri, mundissimis scutellis ad mensam Imperatoris cum debitis reverentijs deferat: & admoneantur Fratres, ut cum modestia religiosa & silentio comestionem citò expediant, surrecturi

Digitized by Google

cturi postmodum quando Imperatori bellaria apponuntur. Demum alia circa Retiradam &c. ordinentur, quæ in præsentia tanti Monarchæ antiqua consvetudine factitari consvevêre.

VI. Si coram Episcopo Missa celebranda est, Sacerdos paramentis mundioribus indutus, in accessu ad Altare Episcopum transiens, priùs illi profundam inclinationem, aut mediocrem genuflexionem, deinde Altari reverentiam faciat. Quòd si priùs ad Altare pervenerit, priùs Altari, deinde Episcopo, erga ipsũ se convertendo, reverentia facienda est. Deinde ascendit ad Altare, præparat calicem, apertóque libro, ut aliàs descendit ante infimum gradum Altaris, ibíque stans, ad cornu Evangelij expectat signum incipiendi, aliquantulum ad Episcopum conversus, quo dato iterum se profundè inclinat, vel mediocriter genuflectit, & conversus ad Altare, Missam inchoat more solito: Minister verò in cornu Epistolæ respondet.

VII. Sub *Confiteor* non dicit: *& vos Fratres*: sed *Tibi Pater*: similiter in fine, ubi alias dicit: *vos Fratres*: dicat *te Pater*: Et quâvis vice hæc dicens profundè se versùs Episcopum inclinet; Minister verò hæc dicens, non ad Episcopum, sed ad Celebrantem se convertat. Dicto: *Oremus*, faciens profundam reverentiam Episcopo, accedit ad medium Altaris, ibíque ante infimum gradum incipit secretò orationem: *Aufer à nobis*: ascendit, & reliqua ut aliàs persolvit.

VIII. Dicto Evangelio Sacerdos librum non osculatur, nec dicit: per Evangelica dicta: Sed Episcopus hæc peragit. Unde Minister, nisi adsit Episcopi Cæremoniarius, vel Capellanus, accipit librum, & sinè genuflexione stans, deosculandum Episcopo offert, & tum primô factâ genuflexione librum claudit, & ad Altare reportat, rursúmque suo loco aperit. Quod dum fit, Sacerdos interim in medio Altaris exspectat, & deinde pergit, dicendo: *Credo*: si dicendum est; vel, *Dominus vobiscum*, cum offertorio.

XI.

Digitized by Google

IX. Dictâ primâ oratione post: *Agnus Dei*: osculatur Altare in medio, & deinde instrumentum Pacis sibi à Ministro oblatum, dicendo: *Pax tecum*: cui Minister respondet: *Et cum spiritu tuo*, móxque Minister ad Episcopum defert instrumentum, eique osculandum porrigit, dicens pariter: *Pax tecum*. Post quæ verba primò, & non ante, Episcopo profundam facit reverentiam.

X. Sacerdos dicto: *Placeat*: & *Benedicat vos omnipotens Deus*: convertit se ad Episcopum, & capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur; *Pater † & Filius, & Spiritus sanctus*: crucem faciens versùs adstantes, in illa parte ex qua non flectit Episcopus, & finito demum Evangelio adhuc stans in cornu Evangelij, ad Episcopum cõversus facit illi reverentiam; & dein ad Sacristiam revertitur *Corsetti. tract. 1. p. 2. c. 16. Rit. Ord. loc. cit. Vinit. p. 2. tit. 14.*

XI. Hic honor non tantùm Episcopo intra suam Diœcesim, sed & Archi-Episcopo per totam Provinciam, & Cardinali ubique, ob peculiarem, quam in toto orbe habet Eminentiam, præsertim si sit Legatus à Latere, & Visitator Apostolicus, est exhibendus; idque etiam judicio Gavanti *p. 2. tit. 3. n. 2. lit. m.* in Ecclesijs Regularium, tametsi exemptis.

XII. Contingit quoque Imperatorem, aut Imperatricem Viduam, in certis solemnitatibus Ecclesias nostras visitare; ubi illi sub Missa solemni in Oratorio privatim à nostris sacrum legitur. Quapropter Sacerdos in vicino loco, aut Cella vestibus sacris indutus, in accessu ad Altare, primò Cruci, deinde Imperatori facit reverentiam: idem quoque observat ad finem, descensum ab Altari, ubi post factam Cruci reverentiam profundam, eam quoque facit versùs Imperatorem, vel quando Imperatorem in accessu, & recessu transit. Reliquæ verò cæremoniæ erga Episcopum fieri solitæ, omittuntur. Præterquam quod ei etiam offeratur osculandum instrumentum Pacis, & ex tolerantia etiam liber Evangeliorum: quæ tamen cæremoniæ tunc ei fiunt, sub summo sacro, mini-

Digitized by Google

miniſterio Cæſareanorum Capellanorum. Quod dictum de Imperatore, etiam intelligendum eſt de alijs Ducibus & Principibus, qui in terras illas, ſupremum jus territoriale obtinent. Fœminis tamen liber Evangeliorum non eſt deferendus.

CAPUT XXXIII.

De receptione Generalis Miniſtri.

PRovincialis Miniſter cumprimùm ex literis A.R. P. Generalis didicerit, eum ſuæ Provinciæ jus viſitationis proximè impendere velle. Definitoribus per literas tempeſtivè accerſitis, ſimul cum ipſis opportuno tempore, ad proximum contiguæ Provinciæ Monaſterium, illi obviam ſe conferat, eundémque de ſtatu ſuæ Provinciæ certiorem reddat, cauſas judicandas ſi quæ ſunt aperiat, ac Familiarum eo modo quo ſunt diſpoſitæ catalogum præbeat, denique ad ſuam Provinciam accedentem comitetur. Eo verò Provinciam ingreſſo ipſe deinceps ab omni externæ juriſdictionis uſu abſtineat; niſi ſecus illi à Generali Miniſtro injunctum fuerit. Ea tamen quæ ad ſpirituale forum ſpectant, veluti à caſibus reſervatis abſolvere, præſentationes recipere, vel à præſentatione liberare, Confeſſorem ſibi eligere, & ſi quæ alia hujuſmodi ſunt, quæ ad Provincialis Miniſtri munus intrinſecè ex Regula pertineant, quibus Majoris viſitatio minimè impeditur: illi integra erunt.

II. Generali autem Miniſtro ad aliquem Provinciæ Conventum viſitationis gratiâ accedente, curet Superior, ut Fratres proceſſionaliter gradientes, cruce præcedente abſque luminaribus longiùs aliquantulum extra fores Eccleſiæ eidem obviam procedant: ubi ſubſiſtente Proceſſione, ſuperior loci duos vel tres ex dignioribus Familiæ Patribus ſecum aſſumens paulò longiùs procedat, donec ad ipſum perveniat: quem reverenter recipientes uſque ad Proceſſionis locum à dextris & à ſiniſtris pedeſtrem comi-

Digitized by Google

mitabuntur, quò cùm pervenerint, crucem ipſi deoſculandam offerant. Statim verò Superior domûs paratam ſtolam coloris officio diei congruentis, ipſi genuflexus offerens deoſculandam, collo ejus ex utraque parte pendentem imponet, túmque vel ab ipſomet, vel dato ſigno, à Patre Gvardiano inchoabitur: *Te Deum laudamus.* Accedente Proceſſione ad Eccleſiam campana pulſabitur. Cruciferarius ubi ad oſtium Raſtelli proceſſerit, ibi ſiſtens genuflectet. Cùm verò Generalis Miniſter ad Eccleſiæ limen pervenerit, Superior genuflexus aſperſorium cum oſculo manus ipſius & aſperſorij, eidem porriget, qui per medium incedens Fratres humi ſuo ordine genuflexos aſperget, donec ad infimum Altaris majoris gradum pervenerit, ubi genuflectet. Expleto Hymno *Te Deum laudamus.* duo Acolythi, vel ipſemet ſequentes verſiculos cantat:

Verſ: Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu:
Reſp: Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Signaſti Domine ſervum tuum Franciſcum:
℟. Signis Redemptionis noſtræ.
Verſ: Domine exaudi orationem meam,
Reſp: Et clamor meus ad te veniat.
Verſ: Dominus vobiſcum, *Reſp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus: pijſſimæ Majeſtati tuæ pro collatione

Digitized by Google

collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, &c.

Deus, qui corda fidelium, &c.

Concede nos Famulos tuos, &c.

Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Francisci, &c.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, & visitatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

III. Tum verò cum omnibus aliquantisper orabit. Post orationem surgens Minister Generalis, benedictionem Fratribus genuflexis impertitur, atque eo sedente, Fratres omnes per ordinem bini & bini à Senioribus incipientes manum ipsius osculabuntur. Postea Superior cum nonnullis ex Senioribus Patribus Generalem Ministrum, ac Socios ad lotionem pedum, atque alia charitatis ministeria, quæ illis ab ipso Superiore potissimùm exhibenda erunt, deducet.

IV. Idem Ritus in receptione Visitatoris Generalis servandus erit, nisi quòd Provincialis sinè Patribus illi obviam procedere debet usque ad extremum propriæ Provinciæ Monasterium adventantem. Fratres illum processionaliter non excipiunt, unde nec campana pulsatur, nec Orationes ante Altare dicuntur: sed Superior loci duobus vel tribus ex dignioribus comitatus ei per milliare occurrat, in ingressu aspersorium porrigat, ipséque & socij genuflexi ab illo aspergantur; Conventum ingredientem Fratres omnes Familiæ excipiant, & genuflexi reverenter ejus manus osculentur. *Rit. Ord. in Appen. cap. 1.*

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

De Missis Votivis.

MIssa votiva juxta Rubr. Miss. *tit. 15. n. 5.* est illa quæ cum officio non concordat, vel secundùm Cærem. Monast. *part. 3. cap. 6. §. 3.* Quæ ex devotione extra suum diem & non secundùm officium dicitur. Hinc colligitur Missas votivas non tantùm esse illas, quæ ad finem Missalis post commune Sanctorum, speciatim post Dedicationem Ecclesiæ singulis diebus per hebdomadam assignatæ habentur. Item quæ ibidem pro diversis necessitatibus distributæ sunt; sed etiam illas, quæ per totum anni circulum celebrantur: adeóque ad Missas votivas spectare tam Missas Domini, B. V. M. quàm alterius sancti, quando extra proprium diem dicuntur.

II. Hæ autem juxta Rubricas Missalis eâ die, quâ Festum duplex occurrit, celebrari nô possunt, nisi gravis & rationabilis causa id persvadeat, qualis esse potest. 1. Gratiarum actio pro aliquo ab ipso DEO accepto beneficio. 2. Invocatio Spiritus sancti pro ineundo aliquo opere, præsertim difficili ac necessario. 3. Gratia aliqua impetrata vel ope ac intercessione alicujus sancti impetranda. 4. Peregrinatio ad pium locum ex devotione suscepta vel suscipienda. 5. Votum emissum atque complendum. 6. Ultima voluntas testantis, seu fundatio facta sive à viventibus, sive defunctis. 7. Status valetudinarius non permittentis sinè incommodo longam Missam de tempore celebrare. 8. Necessitas vivorum pro avertendo aliquo gravi malo publico, vel privato. 9. Demum præceptum superioris votivam Missam præcipientis: in his enim casibus quis rationabiliter operatur; secus verò illi, qui vel ut expeditiùs Missam absolvant, vel alia levi de causa missam diei in votivam commutant; hi enim peccant ad minus venialiter, cùm Rubricis non obediant, statutáque ab Ecclesia Missas nulla rationabili ex causa omittant.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter pij Sacerdotes id sibi, velut certum persvasum habeant, DEO magis gratam fore ipsorum pietatem, si Ecclesiæ velut dilectæ Christi sponsæ ductum sequantur, & juxta dierum ac temporum dispositionem Missas ab Ecclesia præscriptas saltèm ut plurimùm celebrent. *Vinit. p. 1. tit. 4. §. 18. Castald. lib. 2. sect. 6. c. 4. Rit. Ord. lib. 3. c. 10.*

III. Missa votiva solemnis pro re gravi aut publica causa, quâcunque die etiam Dominicâ, & Festo duplici (dummodo non sit unum ex majoribus) cum *Gloria* & *Credo* dici potest, præterquam quando celebratur in violaceis, quo casu omittitur *Gloria* & *Credo* uti S. R. C. decrevit, nisi celebretur in Dominica, quâ die semper dicitur *Credo*. Aliter dicendum de Missis votivis privatis quæ semper celebrantur sinè *Gloria* & *Credo*: excipe Missam de Angelis & B. V. in Sabbato, quibus semper dicitur *Gloria in excelsis*.

IV. Ex prædictis deducitur tempore Capituli Provincialis solum Ministrum Provincialem, qui Missam solemnem de Spiritu Sancto celebrat, posse dicere *Gloria* & *Credo* non autem reliquos Capitulares, qui tantùm Missas privatas celebrant.

V. Porrò Missæ votivæ non possunt celebrari ijs diebus quibus non potest fieri de duplici v. g. infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Feria IV. Cinerum, omnibus ferijs Hebdomadæ majoris, Vigilia Nativitatis & Pentecostes ex Decreto Clementis X. *21. Junij 1670.* emanato; nec infra octavam Corporis Christi. *Lohner p. 4. tit. 2. §. 1. n. 5.*

VI. Quando petitur Missa votiva *de Nativitate Domini*, dicatur Missa de Octava Nativitatis, quæ incipit: *Puer natus est nobis; Lohner loc. cit. §. 2. n. 2.* Si verò de *Assumptione* vel *Nativitate B. V. M.* dicatur Missa ex quinque votivis B. V. tempori conveniens, cum intentione ad honorem Assumptionis, vel Nativitatis B. V. Mariæ *Gavant: p. 4. tit. 17. n. 8.* & *Arnaud. tract. 1. p. 4. tit. 17. n. 9.* Infra Octavas vero B. V. non convenit dicere

Digitized by Google

votivam de eadem, sed si fiat Officium de Octava, dicatur Missa conveniens Officio cum *Gloria* & *Credo*; si verò infra ejusmodi Octavam fiat Officium de aliquo Sancto, & eo die votiva dici debet de B. V. dicatur Missa festiva de Octava omisso *Gloria* & *Credo*. atque hoc etiam in votivis aliorum Sanctorum Octavã habentium observandum est. *Gavant. p. 1. tit. 4. lit. P. Lohner loc. cit. n. 9.* Notandum autem quòd Missa assignata festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V. pro FF. Min. non possit dici per annum ut Votiva etiam in diebus Sabbatinis. *ità S. R. C. 30. Sept. 1679.*

VII. Si petatur Missa de S. Michaele Archangelo dicatur Missa Votiva de Angelis vel de ejus dedicatione die 29. Sept.

VIII. Si de S. Petro vel S. Paulo Apostolo, debet dici Missa Votiva de SS. Petro & Paulo cum intentione venerandi Apostolum, cujus Missa votiva petitur; tempore Paschali verò dicatur Missa ut in festo S. Marci, præter Orationes Epistolam & Evangelium, quæ sumuntur ex Missa Votiva illorum. *Gav. p. 4. tit. 17. n. 6. & 10.* De alijs autem Apostolis Missa sumatur ut supra, præter Orationes, Epistolam, & Evangelium quæ habentur in proprijs illorum.

IX. In alijs Missis votivis de Sanctis dicitur Missa propria, si habetur, mutatis in Collecta verbis *Natalitia, Festa*, & hujusmodi, in verbum *Commemoratio*; desumptis item *Tractu*, *Graduali*, vel *Versibus* cum *Alleluja*, si opus est ex Missa Communi vel certè tota Missa dicatur de communi, prout ratio temporis requirit. *Lohner loc. cit. §. 2. n. 1.*

X. In Missis votivis privatis plures dicuntur Orationes scil: *tres*, *quinque* vel *septem*, non ultra. *Rubr. Gen. tit. 9. n. 14.* ità ut secunda semper sit de eo, de quo fit Officium.

In Votivis de Spiritu Sancto tertia Oratio erit *A cunctis* quando pro tempore est assignata: quòd si facienda sit commemoratio de Festo simplici vel de Feria aut Vigilia, non est necessaria quarta Oratio *A cunctis*, nec ulla alia.

XI.

Digitized by Google

XI. In Votivis de B. V. tertia Oratio dicitur de Spiritu Sancto, nisi ùt supra facienda esset commemoratio de Festo simplici; quando autem fit Officium de eadem B. V. ùt fit in Sabbato per annum, secunda Oratio erit de Spiritu Sancto, tertia Ecclesiæ vel pro Papa. *Rubr. loc. cit. n. 15. Carem. Monast. p. 3. c. 6. §. 8.*

XII. In Votivis de SS. Apostolis Petro & Paulo quando pro tempore dicitur Oratio *A cunctis* ejus locò dicatur Oratio de B. V. *Concede. Rubr. loc. cit.* quando verò dicitur Missa Votiva de conversione S. Pauli, immediata Oratio debet esse de Sancto Petro, nè ab invicem separentur; nisi locò illius diceretur Votiva communis utriusque Apostoli.

XIII. In Missis Votivis, quæ dicuntur tempore Quadragesimæ, Vigiliarum, quatuor temporum, & feriâ secundâ Rogationum, fit quidem commemoratio Feriæ, quatuor temporum, &c. finè tamen Evangelio in fine; quia in votivis semper dicitur Evangelium S. Joannis. *Rubr. Gen. tit. 13. n. 2. Castaldus & alij.*

XIV. In Missis Votivis de Spiritu Sancto, & SS. Sacramento etiam solemnioribus non dicuntur *Prosæ* sive *Sequentiæ*, quia debet esse differentia inter Missam Votivam & Festivam. *Carem. Monast. l. c. §. 3.*

XV. Præfatio propria dicitur si eam Missa Votiva habet, si non habet, dicitur de Tempore, vel Octavâ, vel communis. Infra Octavam tamen Nativitatis Domini dicitur Præfatio de Nativitate licèt Votiva propriam habeat. *Communicantes* & *Hanc igitur*. dicitur, si Votiva dicatur infra Octavam quæ illud habet. *Gavant. p. 1. tit. 12. n. 5. Lohner p. 4. tit. 2. §. 3. n. 6.*

CAPUT XXXV.

De Missis Defunctorum.

IN Dominicis & duplicibus non possunt dici Missæ privatæ pro Defunctis, neque ijs diebus quibus prohibentur fieri Missæ votivæ

Digitized by Google

tivæ, ut ſupra cap. præced. n. 5. dictum. Præſente tamen corpore in Eccleſia poteſt dici Miſſa Defunctorum ſolemnis in diebus Domin. & dupl. niſi ſint primæ claſſis, non tamen poſſe dici privatas docent *Gavant, p. 1. tit. 5. lit. X. Vinit. p. 1. tit. 5.* §. *1. & 2.* quanquam præſente corpore in his partibus praxis contrarium oſtendat.

II. Et licèt Doctores olim contrarium docuerint, inſuper *Gavant. loc. cit. n. 2. lit. Z.* & *Vinit. loc. cit.* §. *3.* ſentiant tolerari poſſe Miſſas Defunctorum in duplicibus quæ non ſunt de præcepto, non quidem pro arbitrio vivorũ, ſed pro adimplenda lege defunctorum, ſícque à S. R. C. conceſſum eſſe *17. Sept. 1607.* & rurſus *20. Junij 1626.* Obſtat tamen novum Decretum S. R. C. Alexandro VII. approbante *5. Auguſti 1665.* emanatum, quod diſtrictè præcipit omnibus Sacerdotibus, ſive ſæcularibus ſive Regularibus &c. ut dictam Rubricam omnino ſervent, & in Feſtis duplicibus privatas Miſſas pro Defunctis nullatenus celebrare audeant, vel præſumant. Quòd ſi ex præſcripto Benefactorum incidant in diem feſti dupl. non eſſe tunc ſacrum transferendum in diem non impeditam, ſed debere dici Miſſam de Feſto currente cum applicatione Sacrificij, juxta mentem eorundem. factâ Ordinarijs poteſtate, ut in contra facientes tam ſæculares, quàm Regulares pro modo culpæ animadvertant.

III. Videtur tamen hoc Decretum in Dioeceſibus, ſub quibus noſtra Provincia ſita eſt, non eſſe promulgatum aut receptum, cum praxis ferat, non tantùm præſente corpore Defuncti, ſed etiam abſente in Exequijs & Anniverſarijs, non ſolùm ſacrum ſolemne in Feſtis duplicibus etiam majoribus, & de præcepto, ſed etiam privata pro Defunctis dici. Quorum praxi hactenus toleratæ, ſcientibus & non contradicentibus Ordinarijs etiam noſtri Sacerdotes pro dicenda Miſſa de Requiem evocati, ſe ſe conformare poterunt ad evitandam difformitatem & notam ſingularitatis, donec ab Ordinarijs aliud ordinetur, nixi ſententiâ Doctorum

Digitized by Google

rum tenentium affirmativam,& receptâ consvetudine. In Conventibus verò omninò dispositò S. R. C. & summi Pontificis observetur & sæculares persvadeantur æquè animabus defunctis prodesse Missam de sancto,quàm de Requiem. Idcircò Alexander VII. *22. Januarij 1667.* sancivit quoad Altaria in perpetuum pro animabus defunctorum privilegiata,si incidat Festum duplex & in illis ex obligatione esset celebrandum sacrum pro defunctis, satisfieri obligationi injunctæ legendo in Altari privilegiato Missam de Festo currente cum applicatione sacrificij & indulgentias per ejusmodi privilegia concessas æquè suffragari illis animabus purgatorij, acsi pro illis Missæ defunctorum celebratæ fuissent. Quod Clemens IX. *23. Sept. 1669.* etiam extendit ad Altaria non in perpetuum, sed vel ad septennium aut brevius longiúsve tempus, & non pro omnibus, sed tantùm pro aliquo aut aliquibus hebdomadæ diebus concessa, sive posteà Missæ ex obligatione, sive ex devotione celebrentur.

IV. In Missis defunctorum non omittuntur oscula paramentorum, cùm se Sacerdos induit. *Gavant. p. 2. tit. 13.* sed omittitur Psalm. *Judica*, non signat se cruce *ad introitum*, sed librum, quasi aliquid benedicens sinistrâ interim super librum positâ, non dicitur *Gloria Patri* ad Introitum nec ad *Lavabo*. Omittitur *Gloria in excelsis*. *Jube Domine benedicere*. Osculum libri in fine Evangelij cum verbis tum dici solitis. Omittitur *Credo*. Benedictio aquæ. Percussio pectoris ad *Agnus Dei*. Oratio pro pace. Benedictio populi. Minister quoque non osculatur ampullas quas celebranti porrigit *Gavant. l. c. litt. R.* In Missa verò solemni non datur incensum ad *Introitum* & *Evangelium*, sed tantùm ad *Offertorium* & *Elevationem*.

V. Quanquam Rubr. Gen. *tit. 5. n. 1. & 2.* præscribant,ut extra tempus Adventûs, Quadragesimæ, & Paschatis primâ die mensis non impeditâ, & præterea Feria 2. cujusvis Mensis, Missa principalior, seu Conventualis dicatur pro defunctis Sacerdotibus

Digitized by Google

bus & Benefactoribus, &c. hoc tamen non est intelligendū de privatis, unde sinè culpa omitti possunt. *Lohner. p. 4. tit. 3. §. 1, n. 3.* Recordentur autem Fratres, quòd nostræ Constitutiones jubeant quemvis Sacerdotem hebdomadatim dicere Missam, aut ad minus collectam, pro nostris defunctis Fratribus. Unde licèt, Missa nequeat, potest tamen, & debet in festo semiduplici, vel quando celebratur de Requiem, dici Collecta: *Deus venia largitor.* pro refrigerio eorundem.

VI. Si quis Fratrum absens moriatur, & intra triginta dies ejus obitus notificetur, prima Missa pro eo dicenda erit, quæ pro tertio die in Missali præscribitur, omisso verbo *Tertium*, & ejus loco dicatur, *cujus depositionis diem commemoramus*, tum etiam: *ut animam Famuli tui N. Fratris nostri.* quod si Sacerdos fuerit, dicenda erit Oratio pro uno Sacerdote: *Præsta quæsumus. Gavant. p. 4. tit. 18. n. 11. & 15.* Si alicujus Fratris Pater vel Mater moriatur, non dicitur oratio *Deus qui nos Patrem, &c.* (quæ præcisè dicenda est pro Parentibus Sacerdotis) sed pro Patre dicitur oratio *Inclina.* pro Matre: *Quæsumus.* Oratio *Fidelium Deus omnium*. Si in Missis Defunctorum plures dicantur, semper debet esse ultima, quando autem in Missis de simplici aut feria facienda est generaliter commemoratio defunctorum ponenda est secundo loco. Sequētia *Dies iræ* semper dicitur, quando una tantùm dicitur oratio, si plures ad arbitrium Sacerdotis. *Rubr. Arnaud. tr. 1. p. 1. tit. 5. n. 11. Lohner. lor. cit. §. 2. n. 7.*

CAPUT XXXVI.

De Missis Feriarum & Vigiliarum.

IN Missis Feriarum quæ sub Ritu simplici celebrantur, nunquam dicitur *Gloria* & *Credo* licèt in officio dictum sit *Te DEUM laudamus* quia hæ Missæ non concordant cum Officio. Si in Vigiliam incidat semiduplex 2. Oratio erit de Vigilia, puta in Missa pri-

Digitized by Google

sa privata, tertia verò tempori conveniens, non autem Concede, quæ aliàs secundo loco in Vigilia dicitur.

II. Si Vigilia venerit infra Octavam, Missa dicitur de Vigilia cum commemoratione Octavæ, quod etiam intellige de ferijs quatuor temporum & feria secunda Rogationum, si verò fiat de Festo, primò facienda est commemoratio de Octava, deinde de Vigilia. Excipe Vigiliam SS. Apostolorum Petri & Pauli & S. Joannis Baptistæ venientem infra Octavam Corporis Christi tunc enim debet dici de Octava cum commemoratione Vigiliæ, *Lohner p. 4. tit. 4. n. 3.*

III. Si festum habens Vigiliam celebretur feriâ secundâ. Missa Vigiliæ dicitur in Sabbato, sicut etiam de ea fit Officium: exceptâ Vigiliâ Nativitatis Domini, & Epiphaniæ.

IV. Si in Quadragesima, & quatuor temporibus occurrat Vigilia: dicenda erit Missa de Feria cum commemoratione Vigiliæ.

V. Tempore Paschali non dicitur Missa de Vigilia, nisi in Vigilia Ascensionis, quæ tamen non jejunatur, sicut nec Vigilia Epiphaniæ.

VI. In Vigilijs semper dicitur Præfatio communis (excipe Vigiliam Epiphaniæ, Ascensionis & Pentecostes) etiamsi infra Octavas habentes propriam Præfationem venerint; sic quando Vigilia S. Joannis cadit infra Octavam Corporis Christi, debet dici Præfatio communis & non de Nativitate. Idem dic de ferijs Majoribus, quando cadunt infra Octavas. Unde quando feria quatuor temporum cadit infra Octavam Nativitatis B. V. debet dici Præfatio communis & non de B. V. Excipitur tamen ab hac lege feria privilegiata Litaniarum Majorum, in qua dicitur Præfatio Paschalis, de qua supra.

VII. Cùm Ecclesiæ nostræ ex declaratione Capituli Generalis habendæ sint pro quasi collegiatis, adeóque occurrente Feria vel Vigiliâ in Festo duæ debent dici Missæ, una de Festo post

Digitized by Google

Tertiam, altera de Feria vel Vigilia post *Nonam*, in neutra verò fit commemoratio alterius, & si tunc incidat Festum simplex, aut dies infra Octavam, de his fit commemoratio in Missa de Festo, & non in Missa de Feria vel Vigilia. Viciſſim in Missa de feria Quadrageſimali, aut quatuor temporum ſi occurrat Vigilia, fit commemoratio Vigiliæ, & non in Missa de Festo, ſimiliter ſi Missa fiat de Vigilia tempore Adventûs, in Missa de Vigilia fit commemoratio Feriæ, & non in Missa de Festo. Attamen in feria IV. Rogationum, quæ eſt Vigilia Aſcenſionis, ſi inſuper incidat Festum novem Lectionum, dicuntur tres Missæ: Conventualis una de Festo, altera de Feria Rogationum poſt Litanias, tertia poſt Nonam de Vigilia, in quarum ultimis duabus ſecunda Oratio eſt de B. V. tertia pro Eccleſia vel pro Papa. In Missis privatis verò ſi inſuper incidat dies infra Octavam, & ſimplex, ut aliquando contingit Feriâ IV. Rogationum Missa erit de Festo, ſecunda Oratio de die infra Octavam, tertia de Vigilia, quarta de ſimplici, quinta de Rogationibus, & ultimum Evangelium erit Vigiliæ.

VIII. Eſt Generalis Regula ſi Vigilia ab aliquo feſto digniore impediatur, ſemper ultimum Evangelium de illa legendum eſt, niſi cadat in Ferias Quadrageſimæ, aut Quatuor Temporum, tunc enim ſi Missa ſit de Feria, ultimum Evãgelium legitur S. Joannis. *Lohner loc. cit. n. 7.* ſi ſit de Feſto, ultimum Evangelium eſt de Feria, niſi cadat in Feriam Adventûs tunc enim etſi Missa ſit de Feſto, ultimum tamen Evangelium eſt S. Joannis, & non de Vigilia ut ſupra *cap. 1. n. 9.* dictum eſt: quia ejus Evangelium non eſt lectum in Officio; nihil autem fit in Officio de Vigilijs tempore Adventûs occurrentibus. *Rubr. Gen. Brev. Gavant. ſect. 7. cap. 2. §. in Adventu.* Missa Vigiliæ tempore Adventûs ſemper fit cum commemoratione Feriæ, Vigiliâ Nativitatis exceptâ. Quod ſi Vigilia incidat in Feſtum primæ claſſis, nihil fit de illa. *Rubr. Gen.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

De Defectibus Contra Rubricas in Missa generaliter committi solitis.

QUoniam plurimi Sacerdotes ex ignorantia Rubricarum in singulis suis Missis non solùm contra Rubricas, sed etiam contra animam suam multoties peccant, & crebra peccata venialia satis gravia committunt: Idcircò visum nobis fuit, tùm obligationem Rubricarum, tùm defectus contra eas committi solitos paulò uberiùs declarare. Quam declarationem ex Gavanto, Arnaudo, Vinitore, Corsetti, Lohner, & potissimùm ex manuductione Sacerdotis, P. Raphaëlis ab Herissonio Capucini, Lugduni 1690. impressa, desumpsimus.

II. Rubricarum quædam sunt tantùm directivæ, quædam etiam præceptivæ. Illæ nullam Sacerdotibus imponunt obligationem; sed duntaxat per modum consilij, ac meræ instructionis proponunt, quid sit agendum. Præceptivæ verò obligant in conscientia ad servandos Ritus per eas præscriptos. Rubricæ omnes, quæ immediatè ante vel post Missam exequenda continent, sunt tantùm directivæ: & per se loquendo (nisi aliunde de præcepto constet) nullam imponunt obligationem. Patet ex Bulla B. Pij V. initio Missalis appositа; quæ de sola actuali celebratione Missæ loquitur. Nota tamen in harum Rubricarum transgressione communiter non deesse peccatum veniale: non ratione sui, sed pravi finis vel motivi, ad eandem transgressionẽ inducentis: qui plerùmque solet esse torpor animi, negligentia, vel nimia ad alias vanas occupationes propensio. Ex dictis collige, Rubricas de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus, esse tantùm regulas doctrinales; quas Ecclesia non definit, sed solùm proponit, ac sic suæ naturæ relinquit.

III. At verò omnes Rubricæ, quæ Ritus à Sacerdote in ipso

Digitized by Google

actu celebrationis servandos præscribunt, sunt præceptivæ: obligántque in materia gravi, sub pœna peccati mortalis: à quo tamen peccato inadvertentia excusat. Ratio est, quia B. Pius V. strictè mandat, Ritus à se præscriptos, in celebratione Missæ servari. Cujus verba in Bulla, Missali præfixa, sic sonant: *Huic Missali nostro nuper edito, nihil unquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo, sub indignationis nostræ pœna, hâc nostrâ perpetuò valiturâ constitutione, statuimus & ordinamus. Mandantes, ac districtè omnibus & singulis Ecclesiarum Administratoribus, aliisque personis, quâcunque Ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, aut cujusvis alterius gradûs ac præeminentiæ fuerint, illis in virtute sanctæ Obedientiæ præcipientes: ut cæteris omnibus rationibus & Ritibus, ex alijs Missalibus, quantumvis vetustis, hactenus observari consuetis, inposterum penitus omissis, ac planè rejectis, Missam juxta Ritum, modum ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent ac legant. Neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumant. Neve Præsules & alij, quocunque nomine nuncupati Presbyteri seculares, aut cujusvis Ordinis Regulares, ad Missam aliter, quàm à nobis statutum est, celebrandam teneantur: neque præsentes literæ ullo unquam tempore revocari, aut moderari possint: sed firmæ semper, ac validæ in suo existant robore, statuimus ac declaramus.*

IV. Ex hoc Decreto tam strictè præcepto, sequitur, teneri Sacerdotes sub pœna peccati mortalis, aut venialis, nihil eorum omittere, quæ in Missa sunt recitanda. Et à fortiori, nihil addere: non solùm quia id expressè cavetur in præfata Bulla; sed etiam quia peccatum commissionis, ut est additio, ex natura sua, majus est peccato omissionis. Hæc tamen obligatio non est accipienda in rigore Metaphysico, sed morali: & sic ad vitandum peccatum sufficit eam adhibere diligentiam, quam communiter timorati, ac sui muneris studiosi adhibent Sacerdotes.

V. Se-

Digitized by Google

V. Sequitur etiam, Ritus Sacrificij Missæ tam accidentales, quàm essentiales debere studiosè observari ; nullatenus autem posse vilipendi, mutari, aut omitti. Quia Trident. *sess. 7. can. 13.* ait: *Qui dixerit Ritus in Sacramentorum administratione (& à fortiori, in sacrificij oblatione) ab Ecclesia institutos, aut contemni posse, aut sinè peccato à Ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiæ Pastorem mutari posse, anathema sit.* Huic stricto mandato additur etiam decretum S.R.C. quod, nè à quopiam ignoretur, singulis Missalibus majori Charactere hisce verbis præfigitur: *Renovando Decreta alias facta, mandat sacra Congregatio in omnibus & per omnia, servari Rubricas Missalis Romani, non obstante quocunque prætextu, & contraria consuetudine ; quam abusum esse declarat. Et facta relatione hujusmodi Decreti S. D. N. Urbano VIII. sanctitas sua annuit, & omnibus ubique servari mandavit.*

VI. Porrò, Ritus Missæ quidam consistunt in Verbis, quidam in Actionibus Sacerdotis ; circa quos triplicem non rarò defectum committunt Sacerdotes, scilicet: omissione, additione, mutatione: contra prohibitionem B. Pij V. in sua Bulla dicentis: *Nihil unquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse.*

VII. Ritus in verbis consistentes vel sunt partes Missæ ordinariæ, quæ semper ejus ingrediuntur compositionem, ut sunt: *Confessio generalis* in principio Missæ, *Introitus, Oratio, Epistola, Graduale*, vel ejus loco tempore Paschali, *duo versus*, cum quatuor *Alleluja, Evangelium, Offertorium, Præfatio, &c.* vel sunt extraordinariæ sive mobiles, quæ non semper ejus ingrediuntur compositionem, sed ad majorem quandoque adduntur solemnitatem atque ornatum, ut sunt: Psalmus *Judica, Gloria in Excelsis, Sequentia* post *Epistolam, Tractus, Credo, Communicantes proprium*, & verba quæ adduntur in Missis quibusdam solemnioribus ad orationem, *Hanc igitur oblationem.*

VIII. Ex partibus ordinarijs quædam sunt notabiles seu principales

Digitized by Google

cipales, quædam modicæ & minùs principales. Notabilēs ſive principales ſunt: *Confeſſio generalis* cum precibus annexis, *Epiſtola, Evangelium, Hoſtiæ & Calicis oblationes*, cum formis verborum quibus perficiuntur, *Prefatio, Oratio Dominica* poſt canonem, Oratio *Libera nos.* verba quæ dicuntur in fractione Hoſtiæ, & commixtione particulæ cum ſangvine, tria *Agnus DEI*, & *Domine non ſum dignus.* & harum partium voluntaria omiſſio (niſi parvitas materiæ excuſet) eſt peccatum mortale ex genere ſuo, ratio eſt: quia directè & per ſe opponitur præcepto B. Pij V. ſupra citato, & quia ſemper ingrediuntur Miſſæ compoſitionem, pertinéntque ad uſitatam illius integritatem, ſaltèm accidentariam: trinam tamen *Agnus Dei*, & *Domine non ſum dignus*, repetitionem excuſat Quarti *quæſt. Proœm. ſect. 3. punct.* 2. & cum eo DD. ibid. cit. à peccato mortali, ſi unâ ſolùm vice proferantur, quia non videtur gravis omiſſio. Modicæ verò, ſive minùs principales ſunt: *Populi ſalutationes, Græduale*, vel ejus loco, *duo verſus* cùm quatuor *Alleluja, Offertorium, &c.* quarum omiſſio eſt ſolùm peccatum veniale: ſi tamen plures ex partibus modicis, ſive minùs principalibus, ordinarijs tamen, vel plures verſiculi partium præcipuarum ac notabilium in una eadémque Miſſa omitterentur, ità ut omnes illæ partes ſive verſiculi ſimul ſumpti gravem faciant materiam, quando ſcilicet integræ Epiſtolæ non nimis prolixæ, nec nimis brevis, aut Evangelij adæquant quantitatem, peccatur mortaliter: ex illis enim omiſſionibus ſimul ſumptis reſultat gravis Miſſæ mutilatio contra præceptum integræ recitationis ejuſdem Miſſæ.

IX. Quoad omiſſionem partium extraordinariarum, licèt aliqui Doctores ſentiant, Sacerdotem peccare mortaliter omittendo illas in materia notabili, Suarez tamen, *tom. 3. de Sacram. diſp. 83.* & alij aſſerunt ſolùm eſſe peccatum veniale, ratio eſt: quia licèt Miſſam privet majori ſuo ornatu ſupradicto, remanent tamen partes Miſſæ neceſſariæ: hæc enim omiſſio in rigore non eſt mutilatio, quia adhuc manet Miſſa integra ſimpliciter. X. Ri-

Digitized by Google

X. Ritus majores in actione consistentes sunt: *mixtio aquæ cum vino in calice; elevatio Hostiæ & Calicis post consecrationem: Hostiæ fractio: mixtio particulæ cum sanguine: fragmentorum collectio, Patenæ & Calicis post communionem purificatio*, quorum omnium voluntaria omissio ex genere suo est peccatum mortale: quia omnes cadunt sub præcepto B. Pij V. in ejus Bulla supra cit. suntq; teste Suario graves, & grande mysterium in se continentes, nec non aliqui valde necessarij: ut fragmentorum collectio, patenæ & calicis purificatio, nè quid cum injuria remaneat Sacramenti. Ritus minores sunt, crucis signa, inclinationes, genuflexiones, oculorum elevationes, pectoris tunsiones, claræ & submissæ pronuntiationes, similésque cæremoniæ: Quarum omissio est solùm peccatum veniale, ratione parvitatis materiæ. Quòd si in eadem Missa plures tales cæremoniæ omitterentur, ità ut omnes simul sumptæ ad quantitatem notabilem pertingerent, committeretur peccatum mortale. Hoc advertant illi Sacerdotes, qui quotidie in singulis suis Missis plurimos errores, contra Rubricas committunt, licèt in ipso omissionis actu, suos non advertant errores: suam tamen non ignorant pravam consvetudinem, quam corrigere non curant. Timeant igitur sibi, nè fortè suâ negligenti celebratione Deum magis offendant, quàm placent.

XI. Advertant hoc & ij Sacerdotes, qui nimis festinanter Missam celebrant, cum periculo, verba non solùm mutilandi vel absorbendi, sed & in quantitate notabili omittendi: átque etiam Ritus graves, tam in verbis, quàm in actionibus confundendi. Quomodo enim Sacerdotes illi (qui à S. Augustino *serm. 251. de temp.* Mimis atque Histrionibus comparantur) in tam modico temporis spatio, poterunt, quæ legenda sunt, integrè proferre? quomodo cæremonias, quæ in actione consistunt, eâ gravitate ac moderatione, quæ tantum decent Sacrificium, ritè perficere? Quomodo mentem ad intelligentiam eorum, quæ ab eis dicuntur, applicare? Videant ipsi ac judicent: videant Superiores, ac corrigant.

XII.

Digitized by Google

XII. Quoad additionem ad Ritus Missæ, sciendum, si hæc additio fiat animo inducendi novum Ritum: sive alios alliciendi, ut ipsum in hac parte imitentur, est peccatum mortale ex genere suo: sive fiat in verbis, sive in actionibus: Est enim usurpata jurisdictio, quæ ad Ecclesiam solùm & summum spectat Pontificem: & quia in ea videtur quædam species contemptûs; cùm non ex negligentia, vel fragilitate; sed ex temeritate contra Bullam supra citatam B. Pij V. & Concil. Trident fiat. Attamen si hæc additio fiat in materia levi, erit solùm peccatum Veniale. Si fiat in verbis ac precibus, quæ altâ voce proferûtur positâ notabili materiâ, grave committitur peccatum. Ratio est, quia hoc ipso censetur addi tanquam ipsius Missæ pars: & saltèm indirectè adest animus, novum inducendi Ritum.

XIII. Sacerdos ex privata devotione aliquid addens Missæ & secretò dicens, vel faciens non ex animo novum Ritum inducendi peccat saltem venialiter, v. g. si in Canone adderet nomen alicujus Sancti, ibidem non descripti: etiamsi foret Patronus vel Titularis Ecclesiæ. Ex concessione tamen addi potest nomen Regis in tota sua ditione: & quidem à quocunque Sacerdote, non autem extra; quia talis facultas localis est. Similiter peccaret venialiter, qui in Festo duplici adderet ex devotione unam Collectam, licèt ob aliquam gravem causam, v. g. ad impetrandam pluviam, vel serenitatem: vel pro infirmo, aut contra Turcam. Quia hæ necessitates debent Deo recommendari in *Memento*. Excipe si Papa, vel Episcopus ordinet, ut in publica necessitate, etiam in duplicibus addatur Collecta.

XIV. In Missis Defunctorum addere ea, quæ juxta Rubricas omitti debent, secluso contemptu, & sinè animo inducendi novũ Ritum, est solum peccatum veniale. Nisi studio diceretur: *Gloria in Excelsis*: vel *Credo*, aut daretur benedictio: quia tunc præter deformitatem præsumitur animus novum inducendi Ritum. Nullum est peccatum, sed potiùs devotio, brevem aliquam addere

Digitized by Google

dere orationem jaculatoriam in secreto: præsertim quando in Missali nihil præscribitur dicendum, v. g. in Elevatione & adoratione sacræ Hostiæ & Calicis. *Ità declaravit: Congreg. Card. Concil. Trid. Interpret. ex Gavant. part. 1. tit. 16. n. 2.* An autem addi possit Oratio purè mentalis ante sumptionem SS. Sacramenti, negant aliqui; rectiùs tamen affirmant Navarrus & D. Bonav: modo tamen hæc Oratio sit brevis. Et Ratio est, quia non est contra Rubricas; Ecclesia enim non præcipit, nec prohibet actus merè internos, ùt est oratio purè mentalis, quæ consequenter non censetur hac in parte prohibita, maximè antè sumptionem SS. Sacramenti.

XV. Quoad mutationem Rituum in verbis seu precibus, sciendum, esse ex genere suo peccatum mortale, verba ità mutare, ut mutetur sensus: hoc enim idem est, ac omittere verba, seu preces ab Ecclesia ordinatas: idque graviter, & sub pœna peccati mortalis prohibetur. At mutatio in verba synonima, secluso scandalo vel contemptu, est solùm peccatum veniale.

XVI. Quoad mutationem Rituum in actionibus idem dicendum est ac de verborum mutatione. Nam mutatio Rituum in alios ab illis diversos, qui in Missali sunt præscripti, est peccatum mortale ex genere suo: quia quævis notabilis mutatio à B. Pio V. prohibita est strictissimè. Quod si mutatio fiat solùm quoad modum, est tantùm venialis. Ut si Sacerdos, dum se signat in Missa, manum sinistram non ponat infra pectus, vel dextram non producat ab humero sinistro ad dextrum, sed lineis contrahat brevioribus: contra expressam Rubricam *tit. 3. n. 5.* præscriptam. Si verò Sacerdos tales Ritus ità confunderet, ut defectus redundaret in substantiam actus, nec possit dici, v. g. formare signum crucis; sed tantùm manus vel digitorum circulationem quandam, ab eodem signo prorsus alienam facere; graviter peccat: maximè si in tot deficiat Ritibus & signis, ut defectus simul sumpti notabilem faciant in eadem Missa quantitatem.

Digitized by Google

XVII. Quod de cruce dictum est, idipsum etiam de quibuscúnque cæremonijs, maximè de genuflexionibus dicendum est: istæ enim debent fieri curvato genu usque ad terram. Unde graviter reprehendendi sunt, qui genu suppedaneum non tangunt, præsertim qui illud vix movent; & solùm leve signum inchoatæ genuflexionis exhibent. Illi enim non videntur præscriptæ genuflexioni satisfacere, cum verè non genuflectant.

XVIII. Idipsum dic de inclinationibus, quando in Rubrica expresè ponitur: *profundè inclinatus*: Qui enim sese modicùm tantùm inclinat, directè contra expressam Rubricam peccat. Illa autem profunda, humerorum scilicet & corporis inclinatio, præcipitur ad initium Missæ, antequam signum crucis facit. Ad *Confiteor*. ad *Munda cor meum*. ad *Te igitur clementissime Pater*. & ad *Supplices te rogamus*. & hæc de defectibus in genere sufficiant, plura apud Doctores videantur.

CAPUT XXXVIII.

De Defectibus in ipsa celebratione Missæ committi solitis.

SAcerdos Missam inchoaturus, ait Rubr. Missalis, tit. 3. n. 1. & 4. *Sub infimum gradum Altaris descendat, & ante illum stans Missam inchoet*. Contra hanc Rubricam faciunt, qui non in plano, sed in primo vel secundo gradu suppedanei Missam inchoant. Item superfluè quidam ante inchoationem pectus percutiunt, cùm tamen Rubrica hoc non præscribat, sed in *Confiteor* id sufficienter fiat.

II. Dum se ipsum signat, ponat sinistram infra pectus, seu supra cingulum: ità ut sinistra illa sit extra terminos crucis. Post *Confiteor* maneat inclinatus, donec Minister absolverit, *Misereatur*. Ascensurus ad Altare, non iterum genuflectat, licèt SS. Sacramen-

Digitized by Google

cramentum esset expositum, quia hæc facienda est postquam ascenderit.

III. Dum osculatur Altare, osculetur illud directè in medio: nullatenus autem osculetur coronidem ligneam Altare cingentem: multò minùs supremitatem calicis tecti: & ut hoc commodiùs facere possit, removeat calicem post medium Altaris, nè ipsum, in osculando Altari, impediat.

IV. Sacerdos maximè curare debet, ait Rubr. Miss. *Tit. 16. n. 2. ut ea quæ clarâ voce dicenda sunt, distinctè & appositè proferat, non admodùm festinanter, nec nimis morosè, neque etiam voce nimis elatâ, nè perturbet alios, qui fortè in eadem Ecclesia tum temporis celebrant. Neque tam submissâ, ut à circumstantibus audiri non possit: sed mediocri, ac gravi, quæ devotionem moveat, & audientibus ità sit accommodata, ut quæ leguntur intelligant.* Unde bene monet *Vinit. p. 2. tit. 3. §. 12.* quòd Missa cum omni attentione, gravitate, pietate, animique sedatione dicenda sit.

V. Quæ verba Rubricæ bene notanda, & cordibus Sacerdotum imprimenda sunt. Contra quæ ij vel maximè delinquunt, qui adeò properanter legunt, ut vix ultra quadrantem horæ in Altari insumant; & quidem cum quærela devotorum sæcularium, quòd suas preces sub tali Missa absolvere nequeant; item qui tam altè clamant, ut cõcelebrantes perturbent; decet tamen (dum plures in eadem Ecclesia celebrant) ut illi, qui in lateralibus Altaribus celebrant, cedant Sacerdoti in majori Altari celebranti, & humiliore voce proferant, nè plurium mixtus clamor, & audientes, & ipsos celebrantes perturbet. *Vinit. p. 1. tit. 16. n. 3.* Si autem contingat quòd duo simul celebrent in lateralibus, & nullus in summo Altari, in eo casu qui prior incepit, altiori voce dicat: alter verò submissiore: specialiter autem hic notandum occurrit, ut, qui sub oratione mentali celebrant, semper submissiùs legant, nè turbationem Fratribus in choro meditantibus causent: qui verò Missam Conventualem celebrat, debet præ cæteris altiori vo-

Digitized by Google

ce legere, ut à Fratribus in Choro audiatur : Miniſtri autem debent ſe conformare Sacerdoti, & æquali vocis ſono ipſi ad omnia reſpondere.

VI. Orationem illam, *Oramus te Domine*, dicit celebrans inclinatus, manibus junctis ſuper Altare poſitis, ità ut parvi digiti ſolam frontem anterioris partis Altaris tangant, pollice dextro ſuper ſiniſtrum in modum crucis poſito; Agunt proinde contra hanc Rubricam illi, qui ex feſtinantia inter aſcendendum ad Altare eam incipiunt: ſicut & ij, qui manus ſuper Altare poſitas junctas non habent: atque omnes digitos etiam parvos ſuper menſam Altaris ponunt.

VII. *Repetito Introitu*, ait Rubr. Miſſ. *p. 2. tit. 4. n. 2. junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, ubi ſtans dicit, Kyrie eleyſon.* non debet autem incipere, dum procedit à cornu Epiſtolæ ad medium Altaris, ſed primùm dum jam eſt in medio; & quidem factâ priùs Altari reverentiâ. *Vinit. p. 2. tit. 3. n. 2.*

VIII. Dicendo, *Dominus vobiſcum*, & *Orate Fratres*, non circumſpiciat, ſed oculos modeſtè deprimat: nè circumſtantes ob curioſitatem ſuam ſcandalizet. Eadem verba dicendo expandens ac jungens manus non versùs terram id faciat; ſed erectis in altum manibus, ut orantis formam in junctione manuum ante pectus præſeferat. Ità *Vinit. p. 2. tit. 5. §. 1.* unde turpè eſt quoſdam Sacerdotes aſpicere, qui manus versùs terram inclinant, & vix tantillum expandunt.

IX. Dicendo, *Oremus*, jubet Rubr. Miſſ. *p. 2. tit. 5. n. 1.* ut Sacerdos manus extendens, & jungens versùs crucem caput inclinet. Item mandat, ut dum dicit Orationem, extendat manus ante pectus, ità ut palma unius manus reſpiciat alteram, digitis ſimul junctis; quorum ſummitas humerorum altitudinem diſtantiámq; non excedat, unde valde indecorum eſt, manus penè nihil extendere, & fermè uſque ad Miſſale depreſſas tenere.

X. Quotieſcunque in orationibus, Epiſtolis, Canone, vel ali-

Digitized by Google

aliàs in Missa nominatur nomen JESUS, Sacerdos debet caput inclinare versùs crucem, excepto Evangelio; ibi enim versus librum Evangeliorum se inclinat. *Rubr. Miss. l. c. n. 2.* item, *tit. 6. n. 2. in fine. Vinit. hic* §. *6. Gavant. n. 2.* Quando oratio clauditur per verba, *Qui vivis.* vel, *Qui tecum vivit*, non inclinat se Sacerdos, sed erectus hæc verba pronuntiat. Ad nomen MARIA verò, sicut & nomen Sancti, de quo Missa dicitur; & demum ad nomen Papæ, Sacerdos semper inclinat caput versùs librum, non autem se inclinat ad nominationem SS. Petri & Pauli, ac aliorum, qui in oratione, *A cunctis*, ponuntur; quia tunc non est dies Festus eorum. *Gavant. p. 2. tit. 5. n. 2. lit. C. & Vinit. hic* §. *7.*

XI. In oratione, *A cunctis*, debet nominari Patronus vel Titularis Ecclesiæ, non autem S. Pater Franciscus, aut alius sanctus: secùs si Beata Virgo, vel SS. Petrus & Paulus essent Patroni Ecclesiæ *Gavant. p. 1. tit. 9. n. 2. Vinit. hic* §. *5.* In Missa de SS. Sacramento, & de Spiritu sancto, secunda oratio non est, *Concede.* sed pro diversitate temporis.

XII. Ad *Munda cor meum*, non ponuntur manus super altare, sed tenentur ante pectus, & sic priùs elevatis ad Deum oculis, ac statim iterum demissis, profundè inclinatus dicit præfatam orationem. *Rubr. Miss. p. 2. tit. 6. n. 2. Vinit. hic* §. *2.* In petitione benedictionis Sacerdos non dicit; *Jube Domne*, sed *Jube Domine benedicere*; quia ipse non petit ab aliquo homine, sed ab ipsomet Deo benedictionem. Evangelium legitur junctis manibus ante pectus, & Sacerdos non stat directè versùs Altare, sed aliquantulùm conversus ad sinistram suam; idque ex locatione Missalis colligitur, de quo Rubr. dicit *loc. cit. n. 1. Sacerdos vel Minister Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris & non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam. Posteà Sacerdos vadit ad librum Missalis, stans versùs illum.* Cùm ergo Missale obliquè positum jaceat, ideo Sacerdos versùs illud stans, obliquè stare debebit. Dum Minister dicit, *Gloria tibi Domine*, cele-

Digitized by Google

celebrans non vertit se ad crucem, nec inclinat caput, licet SS. Sacramentum esset expositum. Legens Evangelium stet erectus versùs librum non innitendo manibus vel brachijs Altari vel libro. In fine absque ulla crucis productione osculatur librum, seu Evangelium, non in fine, nec in medio, sed in initio. *Vinit. l. c.*

XIII. Dicto junctis manibus Offertorio Sacerdos discooperit calicem, & velum non retrò calicem ac super corporale, sed extra corporale ad latus Epistolæ prope tabellam secretarum ponit. *Vinit. p. 2. tit. 16. n. 26.* Tum sinistrâ super Altare positâ, dextrâ ponit calicem cum palla & patena versùs cornu Epistolæ, atque solâ dextrâ deponit pallam, & accipit patenam. Deinde utraque manu tenet patenam cum hostia ante pectus, non autem usque ad faciem elevatam, ità ut primis sex digitis teneat patenam, reliquos quatuor habeat junctos infra patenam, & elevatis oculis dicit, *Suscipe, &c.* dum dicit, *Hanc immaculatam Hostiam*, dimittit oculos. Nec est inconveniens, ut si sciat orationem illam memoriter, oculis iterum elevatis, reliquum orationis persolvat; quod colligitur ex eo; quia totam orationem ad oblationem calicis elevatis oculis recitat. Dictâ oratione, patenam utrâque manu tenens, cum ea facit crucem super corporale, & deponit hostiam, circa medium anterioris partis corporalis ante se; patenam verò ad dextram subtus corporale, non integram, ut nonnulli faciunt, sed mediam duntaxat partem, ut commodè purificatorio cooperiri possit. *Vinit. p. 2. tit. 7. n. 3.*

XIV. Dum discessurus est à medio, faciat cruci reverentiam; deinde stans propè cornu Epistolæ accipit sinistrâ calicem & infundit vinum nihil dicens; quo infuso dicit: *Deus qui humanæ substantiæ*, faciendo signum crucis super aquam. At in Missis de Requiem, cùm aqua non benedicatur, poterit prædicta oratio citiùs incipi. In infusione guttularum aquæ non oportet esse nimis scrupulosum: poterit enim secundùm Gavantum ait *Vinit. loc. cit.* §. 11. octava vel decima pars aquæ vino infundi, dummodò vinum

Digitized by Google

vinum non ſit nimis debile; alioqui minùs de aqua infundi debet, præſertim ab ijs qui modico vino utuntur. De abſterſione guttularum calici adhærentium, quamvis Rubr. nihil dicat; nihilominus ſecundùm Gavant. & Vinit. ſi guttæ vini & aquæ diſperſæ appareant intra calicem, vel circumacto calice vini & aquæ continuo uniantur, vel purificatorio abſtergantur, vel intentionem generalem habeat, non eaſdem, ſed ſolùm quod continuum eſt, conſecrandi. Abſterſis guttulis ponendum eſt purificatorium ſuper partem patenæ, quæ infra corporale prominet; an autem debeat illic poni à Sacerdote ſtante adhuc in cornu Epiſtolæ, an ſecùm portari ad medium Rubrica nihil dicit; convenientiùs tamen ſecum portat Sacerdos, ſi Altare eſt longum, nè indecorè manum verſus medium extendere cogatur.

XV. Dum ad medium redierit, accipit dextrâ calicem, eúmque utraque manu: ſcilicet dextrâ nodum, ſiniſtrâ pedem ante pectus tenet, elevatiſq; oculis offert dicens: *Offerimus*; nec priùs deponit, niſi completâ oratione: tunc enim non unâ, ſed utraque manu, ſignum crucis, ſcilicet duas lineas hoc modo ✝ non autem quatuor puncta ∴ cum eò formet; quod bene notandum eſt, nè alioquin Sacerdos dum crucem formare deberet, potiùs geſticulationes quàm crucem formare videatur. Cùm dicit, *Et benedic*, facit manu dextrâ ſignum crucis communiter ſuper hoſtiam & calicem, ſiniſtrâ poſitâ ſuper Altare. Ubi nota quandócunque ſignantur oblata, debet fieri crux per lineas rectas, æqualiter diſtantes à menſa Altaris; non autem ab alto deſcendentes, aut incurvatas versùs hoſtiam, & in tali altitudine lati digiti ſuper calicem debent lineæ formari.

XVI. Pſalmus *Lavabo*, incipitur & abſolvitur in cornu Epiſtolæ, at, *Gloria Patri*, aut ibidem cum inclinatione capitis versùs crucem, aut in medio Altaris dici poteſt, *Gavant. p. 2. tit. 7. n. 6.* ſolæ extremitates digitorum non autem os, uti quidam indecenter faciunt, abluendum eſt.

Quan-

Digitized by Google

Quando Sacerdos dicit, *Orate Fratres*, Minister non priùs incipiat, *Suscipiat*, donec integrè *Orate Fratres* cum subsequentibus dixerit: neque celebrans dicat, *Amen*, nisi postquam Minister finierit totam orationem *Suscipiat*. *Vinit. p. 2. tit. 7. §. 20.* Secretas dicit Sacerdos stans in medio versùs librum: manétque corpore ità versus, donec in ultima secreta dixerit, *Qui tecum vivit, &c.* Dum dicit, *per Dominum nostrum JESUM Christum.* versùs trucem caput inclinat. Dum absolvit ultimam secretam usque ad, *Per omnia sæcula*, ponit manus super Altare hinc inde extensas: ad, *Sursum corda*, elevat manus adhuc extensas, & jungit primò dum dicit, *Gratias agamus.*

XVII. Præfationem dicit stans versùs Altare, facie autem Librum respicit. ad, *Per Christum Dominum nostrum*, non jungit manus, nec inclinat caput, sicut nec in reliquo Canone, excepto post Memento Defunctorum. Dum Sacerdos recitat, *Sanctus*, non debet manus super Altare ponere, sed eas junctas ante pectus inclinato corpore tenere, *ità Rubr. p. 2. tit. 7. n. 8. & Vinit. hic §. 25.*

XVIII. Ad initium Canonis dum dicit: *Te igitur.* elevat manus & oculos, quos sinè mora iterum demittit. Osculato Altari iterum manus sunt jungendæ, quod ante omnem crucis formationem Rubr. fieri jubent. In Canone ille Episcopus nominandus est, in cujus Diœcesi Sacerdos celebrat. Dum Sacerdos manus expansas tenet, & contingat dextrâ folium vertere aut quid aliud agere, nunquam siniſtram elevatam teneat, sed super Altare ponat. Similiter si quid benedicat, sive intrà, sive extrà Canonem dextrâ, siniſtra non est in aëre suspensa tenenda. *Vinit. p. 2. tit. 3. §. 9. & tit. 5. §. 4. Memento Domine*, itémque, *& omnium circumstantium*, non clarâ, sed submissâ voce dicendâ sunt; quod etiam observandum in *Memento* mortuorum. Sub *Memento* manus junctæ possunt elevari usque ad faciem vel pectus. Caput debet inclinari, & oculi possunt claudi.

XIX.

Digitized by Google

XIX. Verba Consecrationis ità proferri debent, ut celebrans se ipsum audiat, & ab alijs non audiatur. Eadem quoque verba, tam super hostiam quàm calicem, non proferat Sacerdos tanto conatu, nec tantâ aspiratione ab imo pectore ductâ, ut risum moveat audientibus; neque tam morosè, quasi componeret syllabas; neque afflet Hostiam, nec inhalet Calicem, neque caput faciemq; ad singula verba moveat, nec ore aut capite crucem producat. *Vinit. p. 2. tit. 8. §. 17.*

XX. De Elevatione dicit Rubr. *Quantùm commodè potest, elevat in altum Hostiam, & intentis in eam oculis (quod & in elevatione Calicis facit) populo reverenter ostendit adorandam.* Contra hanc notabilem Rubricam faciunt, qui sacram Hostiam non aspiciunt, sed caput suum sub ipsa quasi abscondunt, quod valde indecorum & indevotum est. Item qui elevatam in momento deponunt; quia Rubrica per illa verba: *populo reverenter ostendit adorandam,* indicare videtur, quòd parum in alto teneat, ut possit reverenter aspici & adorari. In ipsa elevatione etiam cavendum est, nè sacra Hostia extra limites corporalis feratur, multò minùs supra caput elevantis ponatur; sed rectâ lineâ perpendiculariter elevetur; elevatam non convertat in utrumque latus, nec cum illa crucem effingat, sed rectam immotam in alto aliquantulum teneat: DEO Patri in Holocaustum svaviſſimi odoris offerat: mox iterum reverenter demittat; ità tamen ut sinistram non amoveat ab hostia, dum adhuc tenetur elevata; sed dum hostia in demittendo venit ad pectus elevantis, tribus posterioribus digitis in volam manus contractis, solis dextræ manus duobus primis digitis super corporale deponat. Advertendum autem hìc nunquam minorem cum majore Hostia consecrata elevandam esse.

XXI. Consecrato Calice dicit: *Hæc quotiescunque*, quæ verba dicenda sunt antequam Sacerdos calicem elevet. ità *Gavant.*

Digitized by Google

p. 2. tit. 8. n. 7. lit. m. Vinit. p. 2. tit. 8. §. 27. unde malè faciunt qui ea proferunt, dum Calicem elevant aut elevarunt. Calix non unâ, sed ambabus manibus simul à corporali accipiendus, & reverenter elevandus, aspiciendus, DEO offerendus, parum in altum tenendus, & utraque manu reponendus est. Multi ex devotione osculantur pedem, alij antequam elevant, aliquam circulationem producunt; alij supra caput suum ponunt; hi omnes loco putativæ devotionis, vix à peccato, saltèm veniali excusantur.

XXII. Dum dicit, *Supplices te rogamus*, inclinat se profundè, junctis pollicibus & indicibus invicem inter se, & parvis digitis frontem Altaris tangentibus, ità ut non teneat manus totaliter super corporale, sed duo parvi digiti sint inter Altare & celebrantem, idque etiam in sequentibus, dum manus junctæ super Altare ponuntur, observandum est. ità *Gavant. & Vinit.* hìc & patet clarè ex Rubr. Miss. *tit. 4. n. 1.* Unde non bene faciunt, qui junctas manus super corporale ponunt: ex causa, nè aliqua particula S. Hostiæ digitis adhærens in terram cadat; nam huic periculo Rubrica satis præcavet, dum dicit: *In calicem, si opus sit, digitos extergat, quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat.*

XXIII. Ad *Memento* non fit pausa post literas N.N. sed post verba *in somno pacis.* Sub Memento elevat junctas manus usque ad faciem, & inclinato capite, oculisque in SS. Hostiam intentis, secretò defunctorum *Memento* facit. Ad *Nobis quoque peccatoribus*, inclinato priùs capite ad verba, *Per Christum Dominum nostrum*, tribus ultimis digitis tantùm percutit pectus, nè pollex & index tangant planetam, quod etiam ad *Agnus Dei*, & ad, *Domine non sum dignus*, observandum est.

XXIV. Ad verba, *Per ipsum, &c.* à labio ad labium calicis faciendæ sunt tres cruces, æquali & erecto motu, graviter & devotè illa sacrosancta verba proferendo. Contra hanc gravem Regulam plurimi delinquunt faciendo potiùs gesticulationes, quàm cruces

Digitized by Google

cruces; & quidem tam celeriter, ut aſpicientibus potiùs tædium aut riſum, quàm devotionem generent. Illæ binæ cruces extra Calicem debent etiam eſſe æquales, trahendo ſacram Hoſtiam versùs pectus ſuum, non versùs pedem calicis: & ità æqualiter tranſverſando, ut inferior pars Hoſtiæ in utraque cruce non multùm deſcendat infra labium Calicis, ſed ei ferè ſit æqualis. Verba illa: *Omnis honor & gloria*, non altè, ſed ſubmiſsè proferenda ſunt: nec ſacra Hoſtia cum Calice populo oſtendenda eſt.

XXV. Multi antequam *Pater noſter* finiant, patenam purificatorio abſtergunt; cùm tamen juxta præſcriptionem Rubricæ poſt prolatum *Amen*, fieri debeat. Oſculata patena non eſt iterum abſtergenda, nec àtergo oſculanda; & dum inter digitos erecta tenetur, extra corporale tenenda eſt.

XXVI. Licèt Rubrica dicat, *Agnus Dei, capite inclinato dici debere*: attamen ordo Miſſæ ait, *inclinatus Sacramento, dicit, Agnus Dei.* Unde Lohner bene advertit, & dicit, ad *Agnus Dei* debere humerorum inclinationem fieri, ſicut etiam ad tres preces ſequentes. Plerique dum dicunt *Agnus Dei*, ſtatim manus junctas ſuper Altare ponunt; cùm tamen Rubrica expreſsè dicat, eaſdem uſque ad primum, *Miſerere nobis*, ante pectus tenendas eſſe. Tunc enim primùm ſiniſtram ſuper Altare ponit, & uſque ad, *Dona nobis pacem*, ibi poſitam relinquens, dextrâ ter pectus percutit. Nec interim dum dicit ſecundò & tertiò, *Agnus Dei*, dextra manus in libero aëre tenenda eſt, ſed ponenda ſuper corporale, uſque dum ad ſecundum, *Miſerere nobis*, aut, *Dona nobis pacem*, pectus percutiat; neque geſticulationes ſunt faciendæ, ſed manus rectà à corporali ad pectus percutiendum moveri debet: nec etiam poſt quamvis pectoris percuſſionem iterum manus jungendæ ſunt. In Miſſis defunctorum, vel, *de Requiem*, omnia tria *Agnus Dei* dicuntur junctis manibus ante pectus, non autem ſuper Altare poſitis.

XXVII. Ad, *Domine non ſum dignus*, humeris inclinatis teneat

Digitized by Google

neat patenam cum S. Hostia, inter se & Calicem, non autem brachium sinistrum imponat Altari: non elevet Hostiam in altum, nec ad latus, ut à populo videatur: non genuflectat, nec ullo modo pedem incurvet, neque corpus contorqueat; illas enim cæremonias faciendo, licèt ex devotione faciat, malè tamen facit, quia superaddit eas Rubricis. *Vinit. p. 2. tit. 10. §. 18.*

XXVIII. Sumens S. Hostiam, sicut & calicem, non debet cum eis facere crucem super patenam per planum, sed debet cum ijs signare se ipsum, juxta Rubricam: id est, à parte Superiori deorsum versùs crucem formare, ità tamen, ut non egrediatur limites patenæ, nè fragmenta cadant extra illam. Ubi nota, patenam in sumptione tum Hostiæ, tum Calicis esse æqualiter tenendam, & non inclinandam; tenetur enim ideò, ut si aliquæ particulæ Hostiæ, aut gutta S. Sangvinis decideret, in patena exciperetur, quod non fieret, si patena declivis teneretur: posteà ponat ambos cubitos super Altare, sicut in Consecratione fecit: ac sumpto Sacramento se erigat, & manus junctas decenter, usque ad infimum labium erectas teneat, & aliquantulùm in meditatione SS. Sacramenti quiescat. Unde malè faciunt, qui sumptâ S. Hostiâ penitus nihil meditantur, sed eâ deglutitâ, statim Calicem sumunt: quod est contra Rubricam, & quidem in re notabili.

XXIX. Multi verba illa, *Quid retribuam Domino*, post genuflexionem, imò aliqui post fragmentorum collectionem dicunt: licèt statim post S. Hostiæ sumptionem, interim dum Calix discooperitur, dici debeant, ut ait *Rubr. p. 2. tit. 10. n. 4.*

XXX. Quidam sacrum sumentes Sangvinem ad sexies calicem ori admovent, eóque sæpiùs ad patenam inverso omnes guttulas ad ungvem extrahere conantur; quibus ait *Gavantus*: Pluries quàm ter, sangvinem, & ultra bis purificationem sumere, est astantibus stomachum movere. Plerique sumentes purificationem girant Calicem per os suum: alij labia propria, sicut & Calicis

Digitized by Google

licis utroque pollice abstergunt, & alij digitos lambunt, quorum quodvis multùm indecorum est, & præter Rubricas practicatur.

XXXI. Sumpto sacro Sangvine Calix non extra, sed supra Altare ad infundendum Ministro porrigitur; ità tamen, ut calicem non ponat super Altare, sed in aëre teneat, nisi tam parvus sit Minister, ut super Altare brachia extendere non possit. Curet quoque per Ministrum tantùm vini infundi, quantùm habuit de specie S. Sangvinis; vel purificationem infusam bene circumagat, ut omnes partes in Calice humidas attingat: quam sumat per eandem partem, quâ Sangvinem Christi hauserat. Ad ablutionem digitorum calicem super Altare tenere non quidem Rubrica præscribit, id tamen faciendum *Vinitor* asserit *p. 2. tit. 10. §. 31.* Digiti non solùm vino, sed juxta Rubricam etiam aquâ abluendi sunt; additque Vinitor, non posse quemquam inconsulto Pontifice vino tantùm sinè aqua se abluere. Aliqui tam parum vini & aquæ sibi infundi permittunt, ut digitos potius madefacere, quam abluere videantur.

XXXII. Si Sacerdos post sumptam ablutionem, aut post dictas orationes, *ait Vinitor*, aliquam Hostiæ particulam invenerit in patena, potest eam statim sumere; quia tota illa actio reputatur unus actus, unum convivium, & una perfecta Sacrificij consumptio.

XXXIII. Solent quidam plicare corporale, & reponere in bursam, antequam velo cooperiant Calicem; *Lohner* tamen *p. 6. tit. 14. n. 156.* putat, Calicem priùs esse velandum, antequam corporale complicetur: item *p. 2. tit. 28. n. 3.* non improbat, quòd Calix velatus à plerisque ex parte Evangelij ponatur. Utrum autem velum velare debeat totum Calicem in anteriori parte, sicut in principio Missæ, dubitant aliqui; nam licèt Rubrica dicat: ut Calix cooperiatur velo, & collocetur in medio Altaris, ùt in principio Missæ: attamen Senyei *p. 4. c. 3. n. 533.* dicit hæc ver-

Digitized by Google

verba non denotare velandum Calicem, ut in principio Missæ, sed ponendum in medio Altaris, ut in principio Missæ, quod etiam pulchris rationib⁹ confirmat P. Raph. ab Herissonio in Manuduct. Sacerdot. *tr. 2. sect. 9. c. 2.* Ultima Collecta debet finiri in cornu Epistolæ, & non inter eundum ad medium. Benedictionem dans populo, non se vertat priùs quàm dixerit: *Benedicat vos Omnipotens DEUS*, & cruci caput inclinaverit. Quando SS. Sacramentum est expositum, dicto, *Placeat.* osculatóque Altari dicit, *Benedicat vos.* Tunc genuflexus in cornu Evangelij dicit versus ad populum: *Pater, & Filius, &c.* Nec redit ad medium genuflexurus, sed in cornu Evangelij vertens se ad Altare, dicit: *Dominus vobiscum, &c. Gav. p. 2. tit. 14. n. 15.*

XXXIV. Ad, *Verbum caro factum est*, versus cornu Evangelij, non autem versus medium flectendum est, nisi SS. Sacramentum esset expositum; tunc enim ad præfata verba, paululum versùs illud flectere poterit. Post Evangelium nec tabella, nec liber est osculandus: cùm Rubrica id non præscribat.

XXXV. Finito Evangelio sumens Calicem ambabus manibus, sinistrâ nodum, dextrâ vero Calici superpositâ, descendit demissis oculis ante infimum Altaris gradum, ibique, si in eodem sit SS. Sacramentum, sive expositum, sive reclusum, genuflectit. Sin minus, facit cruci profundam reverentiam inclinatione humerorum; sicut & in principio Missæ fecit. Tum tecto capite graviter & devotè redit ad Sacristiam. Si transit Altare, in quo est SS. Sacramentum, capite cooperto genuflectit. Si interim in alio Altari fiat Elevatio, detecto capite genuflectit ambobus genibus: nec prius surgit, quàm Calix in Altari sit repositus. *Rit. Miss. tit. 2. n. 1.*

XXXVI. De Lotione manuum post Missam nihil dicit Rubrica; cum Sacerdos in ipsa Missa easdem abluerit. Attamen pius mos invaluit, ut manus post deposita paramenta laventur.

XXXVII. Hi sunt præcipui defectus, qui in celebratione sacra-

Digitized by Google

SS. Sacrificij à pleriſq; contra Rubr. Miſſ. committi ſolent: præter quos plurimi alij quaſi continuò irrepunt, & in pravam cõſvetudinem abeunt. Recordentur autem illi Sacerdotes, qui alias cæremonias quaſi pro devotione aſſumunt, illas non tam devotas, quàm ſuperſtitioſas ac peccaminoſas eſſe; cùm ſint contra expreſſa Decreta Summorum Pontificum, in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè mandantium., ſicut & contra Decret. S.R. Congr. ac Concil. Trident. ùt in principio prioris Capitis videre eſt. Videant ergo illi Sacerdotes, qui Rubricas Miſſalis vix unquam legunt, ac pro libitu eaſdem tranſgrediuntur, ac immutant; ſuúmque Sacrificium, quantum in ſe, mutilant atque commaculant: cogitent inquam illi presbyteri, qualiter coram DEO aliquando ſubſiſtent, & quam gravem eidem deſuper rationem reddituri ſint.

Nè autem hoc malum incurrant, hanc Declarationem attentè perlegant, juxta eandem Miſſam legere aſſveſcant, & ſi quando de una vel altera cæremonia dubitant, eandem reaſpiciant. Ità fiet, quod devotè ac reverenter ſacrificent, DEUM & Angelos oblectent, circumſtantes ædificent, & ex quovis devoto Sacrificio magnum fructum ſalutis acquirent.

CAPUT XXXIX.

De Officio Divino perſolvendo.

CUm cantus noſter ab ipſa reformationis noſtræ origine, ab omni mollitie, ac vocis modulatiõne remotus, humiliſque ac flebilis eſſe debeat: ideò non ſit levis, nec clamoroſus, neque præcipitatus: ſed gravis, moroſus ac devotus; non tamen ſpatijs interjectis, nec nimijs protractionibus, ſed continuo & eodem vocis ductu. Antequam Officium inchoetur, ſtudeat quivis mentem ad Deum elevare, atque inter cœleſtes Angelorum Choros collocare: ut eò faciliùs animum ab evagationibus compeſcat, & cor ad Divinas laudes celebrandas inflammet.

II. Aco-

Digitized by Google

II. Acolythi ante officium omnia benè prævideant, ac disponant: nè sub eodem, Fratrum psallentium attentionem conturbent, & devotionem impediant. Si quempiam Fratrum errare contigerit, error non ab alio, quàm à Superiore, seu Præside Chori, sinè tumultu, placidè & modestè corrigatur: aut post officium emendandus differatur.

III. Hebdomadarius non nimis alto, nec nimis depresso, sed gravi ac mediocri tono Officium intonet, versus illos: *Domine, labia mea aperies. Deus in adjutorium meum intende.* & *Converte nos DEUS salutaris noster*: uno tractu sinè interposita pausa pronuntiet. Cui eodem quoque tono gravitate & continuatione Chorus respondeat. *Et os meum annuntiabit laudem tuam*: Et *Averte iram tuam à nobis.* In sequenti autem ℟. *Domine* (fit pausula) *ad adjuvandum me festina* (pausa) *Gloria Patri & Filio* (pausula) *& Spiritui sancto* (pausa) *Sicut erat in principio & nunc & semper* (pausula) *& in sæcula sæculorum Amen.* (pausa) *Alleluja.*

IV. Ad ℣. *Domine labia mea aperies.* Hebdomadarius signet os suum pollice dextro: Ad ℣. *Converte nos.* in initio Completorij, signet pectus suum pollice eodem. Ad *Deus in adjutorium.* in initio omnium Horarum, manu extensâ signet se à fronte ad pectus, & à sinistro humero ad dextrum. Quod etiam facit in Prima, & Completorio ad ℣. *Adjutorium nostrum* ante *Confiteor.* Item ad *Indulgentiam*, & ad, *Dominus uos benedicat.* Item ad *Benedicat & custodiat nos*, in fine Completorij. Non autem facit crucem ad *Deus in adjutorium.* dum in Prima post, *Pretiosa*, ter dicitur. Nec ad *adjutorium nostrum*, in fine Primæ. Quandocunque signat se Hebdomadarius, signant se pariter, & alij in choro præsentes.

V. Inclinatio profunda humerorum fit ad, *Confiteor*, ad Orationes Horarum, usque ad *Per omnia sæcula*, exclusivè: ut æqualis honor deferatur Spiritui sancto. Idem servetur dum dicitur: *Per Domi-*

Digitized by Google

Dominum nostrum JESUM *Christum.* Id ipsum etiam fit ad, *Gloria Patri*, atque ad ultimam strophan Hymnorum, in qua fit mentio SS. Trinitatis: non autem ad illas, in qua non fit hæc mentio: Quales sunt: omnes tres Hymni in Festo septem Dolorum B. M. V. Item Hymnus ad Matutinum. in Festo Stigmatum. Item Hymnus, *Proles de cælo prodijt.* Item *In cælesti Collegio.* & *Decus morum*, in Officio S. P. N. Francisci.

VI. Genuflectendum est, ut ait Gavantus in Rubricis Breviarij *sect. 10. c. 1. n. 4.* ad ea verba Invitatorij *Venite adoremus & procidamus, &c.* Item ad Hymnos *Veni Creator Spiritus.* Ad, *Ave maris stella.* ad ℣. *O Crux ave spes unica.* Ad, *Tantum ergo Sacramentum.* Ad, *O Salutaris Hostia.* Ad, *Te ergo quæsumus.* Ad, *Tu autem Domine miserere nobis.* Et ad, *procidentes adoraverunt eum.* Quæ omnia in cæremoniali Episcopali *lib. 2. cap. 6.* mandantur, & in Rituali Ord. *lib. 1. c. 16.* præscribuntur.

VII. Si diebus Dominicis & Festivis sola Nona dicenda fuerit, Præses Chori, non autem Hebdomadarius, signum dabit illam inchoandi: exspectando post signum campanæ ad spatium duorum *Miserere*: Diebus ferialibus, ad Sextam & Nonam pulsetur horâ decimâ: In Quadragesima autem, ut supra Cap. X. dictum est.

VIII. In utrisque Vesperis & Matutinis mutatur tertius versiculus Hymni; *Iste Confessor*, tam in omnibus Translationibus, quàm Festis translatis ultra primùm diem. Si verò transferantur tantùm in diem proximè sequentem, tunc tam in utrisque Vesperis, quàm in Matutinis, non mutatur tertius versiculus; *S. R. C. 20. Martij. 1683.* Infra octavam verò dicitur ut in Festo, quia tota Octava est velut unus dies, idemque Festum.

IX. Quando de diversis Sanctis ejusdem qualitatis uno die fit officium, v. g. in Festo unius Martyris, facienda est commemoratio simplicis Festi, etiam Martyris, tunc sumendi sunt versus II. & III. Nocturni: & si occurrerent quatuor commemo-

Digitized by Google

rationes de uno Martyre, aut Confessore faciendæ, tunc adhibenda esset prima Antiphona I. Nocturni, & versus III. Nocturni. *Gavant. tom. 2. sect. 3. c. 11. n. 30.*

X. Si occurrant duo Festa novem lectionum eodem die in Calendario Romano. Quorum alterum esset Patronus vel Titularis Ecclesiæ, v.g. *Sanctus Sebastianus.* eo casu fit de S. Sebastiano tantùm, sub ritu primæ classis cum Oct. Si ipse sit Patronus Ecclesiæ: de S. Fabiano autem fieret Officium sub Ritu semiduplici post Octavam S. Sebastiani: si autem Sancti illi colerentur sub Ritu simplici, & unus illorum esset Patronus, tunc de socio omisso nihil unquam fieret, v.g. in Ecclesia SS. Marcellino & Petro dedicata, S. Erasmus nihil habet unquam, nec quidem commemorationem. Si verò isti sancti essent primæ vel secundæ Classis, tunc de uno qui est Patronus fit Officium primæ Classis: de altero autem fit primâ die non impeditâ, sub Ritu primæ vel secundæ Classis. v.g. In Ecclesia S. Philippo dedicata, fit officium de eo cum octava, die autem primâ non impeditâ fiet officium de S. Jacobo translato, sub duplici secundæ Classis.

XI. Porrò, prædictâ separatione factâ Patroni à socijs, curandum erit, ut oratio, Lectiones, Evangelium, cum Homilia, congruant Festo: ità ut de uno & non de pluribus fiat officium: & deficientibus proprijs, recurrendum erit ad Commune Sanctorum. Oratio verò potiùs Patrono, quàm socijs ejus, reservetur: & in numerum singularem convertatur. Pro socijs autem sumatur oratio ex communi, ut sit varietas: nisi contingat de socijs fieri officium extra octavam Patroni: quo casu, nulla est variandi necessitas *Gavant. tom. 2. sect. 3. cap. 10. n. 12.*

XII. Dubitari solet an Festum Dedicationis sit solemnius Festo Patroni loci aut Titularis Ecclesiæ. Respondet Gavantus ut supra Cap. 8. Majus esse Festum Dedicationis, quàm Patroni: & per consequens etiam ejus Octavam esse dignioṙem. Excipitur Octava Assumptionis B. V. Mariæ, quæ dignior est Octavâ Dedicationis Ecclesiæ *Gav. ut supra c. 8.* XIII.

Digitized by Google

XIII. Si quis de loco ad locum transit, ubi aliud habetur Officium, potest, non autem tenetur, illius Chori dicere Officium: quia peregrinus potest, non autem obligatur conformare se legibus loci.

XIV. Quando nona lectio de aliquo sancto legenda est, non legatur sine titulo, tum ut discernatur à præcedentibus lectionibus, tum quia id videtur innuere Ecclesia, quæ lectioni simplicis præponit titulum, quando supponit fieri tantùm commemorationem, quando verò præsupponit fieri de illo officium, titulum omittit, in fine lectionis, si sequatur *Te Deum laudamus*, altâ voce pronuntiandum est, *Tu autem Domine*.

XV. Quando quis solus recitat Primam, vel Completorium, semel tantùm dicat Confiteor, omissis verbis: *Tibi Pater*, & *te Pater*: *vobis Fratres*, & *vos Fratres*: Quod sequitur, dicat in plurali, scilicet: *Misereatur nostri omnipotens DEUS, & dimissis peccatis nostris perducat nos, &c.* Si autem duo simul officium recitant, nihil in textu Breviarij mutare, sed *Confiteor* bis dicere debent. Et qui dignior est, dicat, & *vobis Fratres*, & *vos Fratres*. Qui minùs dignus est, dicat: *Tibi Pater*, & *te Pater*: sicut dicunt: *Dominus vobiscum*, Resp. & *cum spiritu tuo*, & hic versus semper dicatur ab eo qui solus recitat officium, si Diaconus sit: sin minùs locò ejusdem dicat: *Domine exaudi orationem meam*. Item quando quis solus recitat, nunquam dicat: *Jube Domne*: sed *Jube Domine benedicere*: Nam hoc Dei est, illud hominis. Hæc omnia ex Gavant. *tom. 2. sect. 5. c. 17.*

XVI. Quandocunque, vel ubicunque, tam in, quàm extra Chorum, clarâ voce dicenda sunt illa verba: & *nè nos inducas in tentationem*. Item: *Carnis resurrectionem*: tunc etiam clarâ voce in initio dicantur ista duo verba: *Pater noster*, & *Credo in Deum*.

XVII. In Officio de Venerabili Sacramento, & Immaculata Conceptione per annum, in titulo lectionum secundi & tertij Nocturni, debet dici *Sermo* vel *Homilia Sancti N.* non autem, de

Digitized by Google

Sermone vel de Homilia Sancti N. quia cum de illis prævie nil lectum fuerit, ſicut fit infra Octavam; ideò non debet continuari, ſed abſolutè incipi Sermo & Homilia.

XVIII. Officium SS. Sacramenti per annum, dicitur totum, prout in ipſa ſolemnitate poſitum eſt, cum omnibus Alleluja. juxta Bullam B. Pij V. excipe tempus Septuageſimæ. Miſſa verò dicitur votiva de Evchariſtia cum *Gloria in Excelſis*, ſinè *Credo*.

CAPUT XXXX.

De Ritu celebrandi Feſta duplicia 1. & 2. Claſſis.

OMiſſis Ritibus, in diebus ferialibus, ſemiduplicibus, duplicibus, & Dominicis ſervandis, cùm hæc ſufficienter in Rubricis Breviarij declarata habeantur; ſolùm hìc de Feſtis duplicibus Majoribus agetur, & quis in his celebrandi modus ſervandus ſit, paucis explicabitur. Recenſentur autem in Rubricis Breviarij duplicia 1. Claſſis ſequentia.

Feſta duplicia 1. Claſſis.

Nativitas Domini noſtri JESU Chriſti. Epiphania Domini. Paſcha Reſurrectionis cum tribus antecedentibus, & duobus ſequentibus diebus. *Aſcenſio Domini. Pentecoſtes* cum duobus ſequentibus diebus. *Feſtum Corporis Chriſti. Nativitas S. Joannis Baptiſtæ. Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Aſſumptio B. Mariæ Virginis. Feſtum Omnium Sanctorum. Dedicatio propriæ & Cath. Eccleſiæ. Patronus Diœceſis. Patronus aut Titulus Eccleſiæ.* Quibus ob ſingularem erga B. Virginem DEI Matrem devotionem, ac debitam reverentiam, quam Filij Patri, ac Inſtitutori exhibere debent, adjungimus *Feſtum Conceptionis B. Virginis. & S. P. Franciſci.*

Feſta verò duplicia 2. Claſſis hæc in Rubricis Breviarij enumerantur.

Feſta duplicia ſecundæ Claſſis.

Circumciſio Domini. Feſtum SS. Trinitatis. Purificatio, Annuntia-

Digitized by Google

nuntiatio, & Nativitas B. M. V. Natalitia 12. Apostolorum. Festa Evangelistarum. Festum S. Joseph. Inventio S. Crucis. Festum S. Laurentij. Dedicatio S. Michëlis Archangeli.

II. His ex devotione & concessione summorum Pontificum adnectimus Festa 2. Classis Ordinis Minorum, videlicet: *Festum SS. Nominis* Jesu. *Festum SS. Berardi & Sociorum MM. BB. Petri & Soc. MM. Japonensium. S. Bernardini. S. Antonij de Padua. S. Bonaventura. Festum Portiuncula. S. Clara. S. Ludovici. Festum Stigmatum S. P. N. Francisci. SS. Danielis & Sociorum MM. S. Didaci, & Omnium SS. Ordinis Minorum.* His novissimè accesserunt *Festum SS. Angelorum Custodum. Festum SS. Nominis B. Virginis* Mariæ. *Festum S. Paschalis. S. Joannis Capistrani. S. Petri de Alcantara. Festum Translat. S. Rosæ Viterb.* nec non *S. Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris.*

III. In omnibus his Festis tam primæ, quàm secundæ Classis, juxta præscriptum Ritualis Ordinis nostri sequentia servanda sunt.

Primò, in Pervigilio cujuslibet, post Salutationem Angelicam, ad Solemnitatem significandam, tria signa campanâ pulsanda; convenit autem ut pulsus, saltèm ad minimum primi ad Vesperas & Matutinas Horas prolixiores fiant, juxta dignitatem, & solemnitatem Festorum, ut sit, & ab hominibus differentia inter Festa annotetur.

Secundò, Officium Divinum diebus hisce solemnioribus, sicut etiam in Festivis morosiùs ac tardiori prolatione à Choro, atque eodem modo Conventualis Missa à Celebrante est dicenda.

Tertiò, In Missa Conventuali Pax danda, in Altaris Sacrificio thus adhibendum, & *Credo* per totam Octavam in Missa recitandum. Item ad *Gloria in Excelsis* ad *Sanctus* & Elevationem Hostiæ & Calicis, campana pleno tractu pulsanda. In alijs verò ad *Sanctus* & utramque elevationem tantùm.

IV. In omnibus Festis primæ Classis, in primis & secundis Ve-

Digitized by Google

Vesperis, ad Matutinum & Missam Conventualem 6. Candelæ in Altari accendendæ & duæ ad Completorium. In duplicibus verò 2. Classis ad primas & secundas Vesperas & ad Matutinum quatuor accendantur, ad Missam Conventualem sex, ad Completorium duæ. In Festis de præcepto, quæ non sunt primæ vel secundæ Classis duæ tantùm accendantur candelæ ad utrasque Vesperas, Matutinum & Completorium; ad Missam Conventualem quatuor. in Dominicis ad Missam Conventualem etiam quatuor accendantur, in secundis Vesperis & ad Completorium duæ.

V. In Festis primæ Classis superiùs annotatis nec non in Festis S. P. N. Francisci nulla fiat ad Completorium commemoratio Stigmatum S. Francisci, nec Suffragia pro vivis & defunctis in Choro dicantur.

VI. Demum in Festis solemnioribus primæ classis, videlicet *Nativitatis Domini. Epiphaniæ Domini. in Cœna Domini. Paraſceves. Sabbato ſancto. Dominicæ Reſurrectionis. Aſcenſionis Domini. in Vigilia & Dominica Pentecoſtes. Corporis Chriſti. Dedicationis Portiunculæ. Aſſumptionis & Conceptionis B.M.V. Seraphici P. noſtri Franciſci. Dedicationis, Patroni aut Tituli Eccleſiæ.* In his P. Guardianus aut in ejus absentia P. Vicarius in Choro à primis Vesperis usque ad secundas inclusivè Hebdomadarij vices supplere debet, sicut & legere Sacrum Conventuale: quod posterius etiam præstare debet non tantùm in reliquis Festis primæ classis, nimirum: *in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ. Feſto SS. Petri & Pauli, & Omnium Sanctorum,* sed etiam in Festis solemnioribus secundæ Classis, videl: *Circumciſionis. SS. Nominis* Jesu. *SS. Trinitatis. Purificationis. Annuntiationis. & Nativitatis B. M. V. Stigmatum S. P. N. Franciſci. S. Antonij de Padua, & omnium Sanctorum Ordinis Minorum.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXXI.

De Ritu administrandi sacrum Viaticum Fratribus infirmis.

CUm inter præcipua humanæ infirmitatis remedia nullum sit salubrius ac utilius, quàm devota sumptio Panis Angelici, quò non solùm animæ, sed etiam interdum corporis vires refocillantur: ideò à diversis Concilijs sancitum est, ut quamprimùm Fideles gravi corporis infirmitate laborant, hoc vitali pane refici expoſcant.

II. Cùm igitur sacra Eucharistia infirmo deferenda est, Infirmarius cubiculum infirmi ab omni sorde expurget, floribus & herbis, si haberi possint exornet; & grato suffitu fœtorem, aut mucidum aërem expellat. Mensulam benè firmatam mappâ candidâ contegat, super quam vitrum vini ad abluendos digitos Sacerdotis, & pro purificatione infirmi reponat. Habeat quoque aliam mundam mappulam super pectus, aut manus infirmi communicantis ponendam: & si Sacerdos fuerit, stolam quoque super humeros ejus applicandam. Si infirmus commodè possit, extra lectum genuflectat; sin minus in lecto sedens erigatur.

III. His in Infirmaria præparatis Fratres in Sacristia vel ante Altare conveniant; Sacerdos superpelliceo & stolâ albâ indutus, accipit bursam cum corporali, patenam, pallam & purificatorium, vadit ad Altare, ibique aliquantulum orat, interim accenduntur duæ candelæ, tum surgens corporale super Altare extendat, & prævià genuflexione accipit è tabernaculo Ciborium, & super corporale reponit, iterúmque genuflectens particulam è Ciborio extrahit, & super patenam repónit, pallâ integit, corporali obvolvit, & obvolutam in bursam reponit, & sic ferendo bursam in manibus cum Fratribus ad infirmum processionaliter accedit hoc ordine.

IV.

Digitized by Google

IV. Præcedit Fr. Laicus cum Crucifixo habente baſim inter duos Fratres portantes candelabra cum cereis accenſis: ſequuntur FF. & PP. bini & bini, & poſt eos vadunt duo Acolythi, unus cum hoc Rituali ac tintinnabulo continuo pulſante, alter cum vaſculo aquæ benedictæ ac aſperſorio. Sacerdos poſt omnes ſequens incipit clarâ voce Pſalm. *Miſerere.* Cùm ad Infirmariam pervenerint, ceſſat pulſus, ingrediuntur Cruciferarius cum Ceroferarijs ponentes Crucifixum cum Candelabris ſuper menſam, reliqui verò Fratres extra genuflectant, donec Acolythi & Sacerdos intraverint, & tunc qui poſſunt intrent ac genuflectant.

V. *Sacerdos ingrediens Infirmariam dicat:* Pax huic domui: *cui cæteri reſpondent:* Et omnibus habitantibus in ea. *Deinde deponat corporale cum ſancta Hoſtia inter duos accenſos cereos ante Crucifixum ſuper menſam, & exhibitâ debitâ reverentiâ ſanctiſſimo Sacramento, accipit ab Acolytho Aſperſorium, quò priùs in modum crucis Infirmum & lectum ejus, dein cellam & Fratres præſentes aſpergens, dicat:*

Antiph. Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. *Pſalm.* Miſerere mei Deus, &c. Gloria Patri, &c. *Repet: Antiph.* Aſperges me.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

Verſ. Dominus vobiſcum, *Reſp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æternæ Deus: & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

VI. *Poſt*

Digitized by Google

VI. *Post Orationem Sacerdos Ægrotum verbis suavibus alloquens, eundem consoletur, atque ad agritudinis molestias patienter ferendas hortetur. Deinde hoc aut simili modo ad sacram Communionem disponat.*

Adm. Venerande Pater (vel chariſſime Frater) juxta deſiderium ſuum attuli ſuæ Reverentiæ (vel Chariſſimo Fratri) Sacroſanctum Altaris Sacramentum, tanquam præſtantiſſimum Infirmi Corporis & afflictæ animæ remedium. Quod ut digniùs ſuſcipiat, elevet mentem ſuam in Deum, atque unâ mecum dilectum ſuum JESUM, hic perſonaliter præſentem invocet, dicens:

Piiſſime JESU, ego corpore & animâ infirmus deſidero Sacratiſſimum Corpus & Sangvinem tuum, tanquam Viaticum ſuſcipere, & per id ipſum animam meam ad iter illud arduum æternitatis munire. Cum ergo hæc ſacra Communio fortè futura ſit ultima, quam in hac mortali vita ſuſcepturus ſum: idcircò humillimè rogo, ut per tuam gratiam ſit etiam efficaciſſima omnium, quas in tota vita mea ſuſcepi: Fateor me verè eſſe indigniſſimum, hoc tremendum Sacramentum ſuſcipere, neque poſſe ullo modo animam meam ad idipſum ſuſcipiendum dignè præparare. Deprecor igitur te, mi JESU amantiſſime, dignare peccatricem animam tibi ipſi præparare, & dignum tuæ Majeſtati habitaculum in ea conſtruere. Ablue eam, quæſo, amariſſimis lachrymis tuis: emunda eam ſangvineo ſudore tuo: purifica eam ſacrâ aquâ lateris tui: ſancti-

Digitized by Google

fica eam aspersione divini sangvinis tui: imbue eam Spiritu devotionis tuæ: orna eam sacratissimis virtutibus tuis: dita eam copiosissimis meritis tuis: & accende eam ardentissimâ charitate tuâ: ut tot & tantis virtutibus ornata, fiat tibi jucundissimum habitaculum, quod æternaliter digneris inhabitare. Ecce ego accedo ad te cum maxima cordis contritione, cum profundissima humilitate, & reverentia, cum ardentissimo te suscipiendi desiderio: & cum firmissima salutem consequendi fiducia: suscipe me igitur, ô JESU mi dulcissime, cum omni benignitate, & charitate tua: & da per gratiam tuam, ut hoc divinum Corpus & Sangvinem tuum, tanquam efficacissimum animæ meæ Viaticum, dignissimè suscipiam. Amen.

VII. *Tum Infirmus ad exemplum SS. Patrum suppliciter ab omnibus veniam postulet, si fortè aliquem verbo vel factis læserit, aut dicto contristaverit, aut malo aliquo exemplo offenderit, omniúmque se orationibus humiliter commendet. Sacerdos verò nomine omnium satisfactionem acceptet, vicissimque ab eo veniam petat. Postea Clericus aut ipse Infirmus dicat,* Confiteor. *Et Sacerdos* Misereatur. *&* Indulgentiam. *Quo dicto accipiens sacram Hostiam dicit:*

Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Domine non sum dignus:

Quo ter dicto præbet ei SS. Sacramentum, dicens:

Accipe Frater chariſſime Viaticum Corporis Domini nostri JESU Christi, qui te custodiat ab hoste maligno,& perducat in vitam æternam. Amen.

Sacerdos ablutis digitis, & infirmo datâ ablutione, genuflexus dicat:

O Sacrum

Digitized by Google

O Sacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus: mens impletur gratiâ: & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, *ſecretò.*

Verſ. Et nè nos inducas in tentationem.

Reſp. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac ſervum tuum. ℟. DEUS meus ſper:

Verſ. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. *Reſp.* Et de Si:

Verſ. Eſto ei Domine turris fortitudinis. *Reſp.* A facie.

Verſ. Nihil proficiat inimicus in eo.

Reſp. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Verſ. Domine exaudi,&c. *Reſp.* Et clamor meus,&c.

Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti Fratri noſtro ſacroſanctum Corpus Domini noſtri JESU Chriſti Filij tui, tam corpori, quàm animæ proſit ad remedium ſempiternum. Qui tecum vivit & regnat. *Oremus.*

COncede hunc Famulum tuum, quæſumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis ſanitate gaudere, & gloriosâ Beatæ Mariæ ſemper Virginis, omniúmq; Sanctorum interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æternâ perfrui lætitiâ.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo infirmo deprecantes, &

Digitized by Google

misericordiæ tuæ auxilium implorantes; ut redditâ sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum,&c. *Resp.* Amen.

Deinde surgens Sacerdos infirmum hoc, aut simili modo alloquatur:

Adm. Ven. Pater (*vel* Charissime Frater) cùm jam dulcissimum JESUM suum in corde suo personaliter contineat, idcircò invocet eum fiducialiter,& proponat ipsi necessitates suas, unâ mecum dicendo.

Saluto, adoro, & veneror te, ô mi dulcissime JESU, tibíque toto cordis mei affectu gratias ago, quòd ad me miserrimum venire dignatus sis. Cùm igitur te personaliter intra me contineam, hinc eò fiduciàliùs te invoco,extremâmque meam miseriam indico. Ecce, hìc jaceo coram te, sicut Hydropicus ille Evangelicus, corpore & animâ infirmus: atque cum eâdem fiduciâ, quâ ille te invocavit, cordialiter te invoco, ut miserearis mei. Dic ergo mihi, sicut dixisti illi: *Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua; Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* ô JESU mi dulcissime, præsta mihi hanc misericordiam, & per sumptionem hujus efficacissimæ sacramentalis Medicinæ, libera me à meo dolore & infirmitate. Si verò id ipsum mihi non foret salutare, sana saltèm animam meam majori infirmitate gravatam. Conforta eam per virtutem hujus divinissimi Sacramenti, contra omnes tentationes & incursus satanæ: & hujus sacratissimi Viatici sumptio, sit mihi ad iter æternitatis ingrediendum digna præparatio.

Digitized by Google

tio. Divina caro tua, quam modo manducavi, confortet me in gratia. Sacer Sangvis tuus, quem modo sumpsi abluat animam meam ab omni macula; ut deinceps totus tibi vivam, & tuam misericordiam vivens & moriens semper obtineam. Amen.

Quod si mors immineat, & periculum sit in mora, tunc dicto: Misereatur tui, *praedictis precibus omnibus, vel ex parte omissis Infirmo statim Viaticum praebeatur, & ablutis digitis, datáque ablutione Infirmo, dicatur Oratio* Domine sancte Pater, *ut sup. & sequens benedictio ei impertiatur.*

Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, † & Filij, & Spiritûs sancti, descendat super te, & maneat semper.

vel Benedictio sancti Francisci.

Bene † dicat tibi Dominus & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.

Posteà aspergat eum aquâ benedictâ dicens;

Per aspersionem pretiosissimi Sangvinis Domini nostri JESU Christi, & per virtutem amarissimæ Passionis & mortis suæ, purificet Dominus animam tuam ab omni macula, & liberet te ab omni tentatione diabolica, in nomine Patris, &c.

VIII. *His expletis, si in aliqua pixide plures particulas SS. Sacramenti attulisset, genuflectit, surgit, & accipiens pixidem cum SS. Sacramento, facit cum ea signum crucis super infirmum, nihil dicens, & reverenter illam deferens, ordine quó venerat, revertitur ad Ecclesiam, dicendo Psalm:* Laudate Dominum de cœlis: *& alios Psalmos prout tempus feret. In Ecclesia ponit Sacramentum super Altare, & genuflexus dicit:* Pa-

Digitized by Google

Vers. Panem de cœlo præstitisti eis.
Resp. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus.

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus: ità nos Corporis & Sangvinis tui sacra Mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis & regnas,&c.

Tum surgens reponit particulas ex pixide in Ciborium, & cum eo dat Benedictionem nihil dicens, illúdque in Tabernaculum recondit.

CAPUT XLII.

De Ritu administrandi Sacramentum Extremæ Unctionis.

EXtremæ Unctionis Sacramentum, à Christo Domino institutum, tanquam cœlestis medicina, non animæ solùm, sed etiam corpori salutaris, omni studio & diligentiâ periculosè ægrotantibus adhibendum est, & eo quidem, si fieri possit tempore, dum in illis adhuc integra mens & ratio viget: ut ad uberiorem Sacramenti gratiam accipiendam, ipsi etiam fidem ac piam animi voluntatem dum sacro liniuntur Oleo, conferre possint.

II. Dum oculos, aures, manus, & pedes Sacerdos ungit, caveat nè altero ipsorum ungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quàm ambo membra perunxerit. Si quis autem aliquo membro mutilatus fuerit, pars loco illi proxima, eâdem verborum formâ inungatur.

III. Si periculum immineat, nè Infirmus decedat, antequam unctiones finiantur, omnibus precibus omissis ungatur, incipiendo ab eo loco: *Per istam sanctam unctionem.* Si postmodum super-

Digitized by Google

supervivat, dicantur Orationes prætermissæ, ut ajunt Casuistæ apud *Bassæum & Busenbaum.* Si sub unctione decedat, Sacerdos ultrà non procedat, sed prædictas orationes omittat. Si de vita dubitet, prosequatur unctionem sub conditione dicendo: *Si vivis: Per istam sanctam unctionem, &c.*

IV. In eadem infirmitate Sacramentum hoc iterari non debet, nisi diuturna fuerit: ut cùm infirmus aliquantulùm convaluerit, iterum in mortis periculum inciderit.

V. Sacerdos igitur hoc Sacramentum administrāturus, parari curet apud infirmum mensam mappâ candidâ coopertam, item scutellam cum bombaceo in septem globulos distincto. Item scutellam aliam cum medulla panis, & pugillo salis, atque vas cum aqua & mantili ad abluendas & extergendas manus suas. Ceream item candelam, quæ deinde accensa ipsi ungenti lumen præbeat. Demum curet membra infirmi inungenda tepidâ aquâ ablui, & in infirmaria suffitum ex granis juniperi vel thure fieri.

VI. His omnibus paratis, P. Guardianus aut alius ab eo substitutus infirmum inuncturus, convocatis Fratribus induit superpelliceum & stolam violaceam: accipit pixidem S. Olei, & præeunte Cruciferario cum Crucifixo inter duos Fratres candelabra cum cereis accensis gestantes; (& si nocturnum tempus & plures Fratres fuerint, adhuc duæ candelæ vel faces adhibeantur) sícque bini & bini per ordinem procedant, subsequuntur duo Acolythi, unus portans vasculum aquæ benedictæ cum aspersorio, alter hoc Rituale, post hos ipse P. Guardianus, aut alius substitutus ferens pixidem velo violaceo tectam, & incipit clarâ voce Psalm. *Miserere.* Cùm ad Infirmariam pervenerint, Cruciferarius cum Ceroferarijs ingredientes, Crucifixum & candelabra super mensam stratam reponant; reliquis extra exspectantibus, donec Acolythi & Sacerdos cum S. Oleo ingrediantur. Sacerdos in introitu dicat:

Pax huic domui. *Resp.* Et omnibus habitantibus in ea.

VII.

Digitized by Google

VII. *Deinde repositâ pixide super mensam Crucifixum piè osculandum agroto porrigat, móxque infirmum aquâ benedictâ in modum crucis, cellam quoque, & adstantes aspergens dicat:*

Antiph. Asperges me. &c. *Psalm.* Miserere, &c.
Gloria Patri, &c. *Repetitur* Asperges me, &c.
Vers: Domine exaudi, &c. *Resp:* Et clamor meus, &c.
Vers: Dominus Vobiscum. *Resp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

PRæsta nobis quæsumus Domine, per hujus aquæ aspersionem, sanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, & corroborationem fidei hìc & in æternum. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

VIII. *Posteà fraternè & paternè salutet infirmùm, eúmque interroget: num velit hoc Sacramentum in fide Ecclesiæ Catholicæ percipere? quo respondente:* Volo, *ipsum verbis consolatorijs (si tempus ferat) adhortetur: ut brevi ac transitoriâ hâc vitâ contemptâ ad æternæ vitæ desiderium animum erigat, atque de hujus Sacramenti vi, & efficacia eum breviter admoneat hoc, vel simili modo.*

Adm. Venerande Pater (vel charissime Fr.) cùm Sacramentum extremæ unctionis idcircò à Christo institutum fuerit, ut deleat reliquias peccatorum, tollat pœnas restantes, roboret animam contra tentationes in agone ingruentes, & ut sit ultimum salutis nostræ remedium, quãdo scilicet humana remedia recuperandæ sanitatis sunt desperata. Idcircò cum omni devotione efficacissimum hoc Sacramentum susc̃ipere satagat, & tanquam cæleste unguentum

Digitized by Google

gventum & medicinam sibi applicari faciat: Divinam etiam bonitatem enixè precetur, ut non solùm Sacramentum, sed etiam sacramentalem gratiam & virtutem ejus mereatur suscipere. Jungat ergo preces suas precibus nostris, & amoroso suspirio ad Deum pro ejus auxilio suspiret.

Quâ Exhortatione peractâ Sacerdos dicat:

Vers. Adjutorium nostrum, &c. *Vers.* Dominus vobisc. &c.

Oremus.

INtroeat quæsumus Domine JESU Christe, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu, æterna felicitas, Divina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco dœmonum accessus, adsint Angeli pacis, domúmque hanc deserat omnis maligna discordia.

Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum: & bene † dic nostræ conversationi: sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus, & deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut benedicendo bene † dicat hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum custodem, & faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua, avertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur.

Digitized by Google

tur. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

IX. *Quæ Orationes, ſi tempus non patiatur ex parte, vel ex toto poteruut omitti, & infirmus interrogari, num forſan adhuc aliquem conſcientiæ ſcrupulum habeat, quô facto, ipſemet infirmus, ſi poteſt, vel pro eo Clericus aſſiſtens dicat* Confiteor: *eo abſoluto Sacerdos dicat* Miſereatur tui, &c. Indulgentiam & abſolutionē, &c.

Et quamvis juxta Rit. Rom. nulla tunc infirmo dari debeat abſolutio; attamen quia ex privilegijs Ordinis noſtri in morte plenaria indulgentia cuilibet ægrotanti conferri poteſt; idcircò ſi jam priùs fuit plenariè abſolutus, tunc ei in hac forma plenaria indulgentia concedatur.

ABSOLUTIO GENERALIS.

Ab omnibus peccatis & cenſuris, tam Papæ, quàm Superioribus reſervatis, cum applicatione indulgentiæ plenariæ, conceſſa Fratribus Minoribus in mortis periculo vel articulo conſtitutis.

Dominus noſter Jesus Chriſtus, per merita ſuæ ſanctiſſimæ Paſſionis te abſolvat, & gratiam ſuam tibi infundat: & ego authoritate ipſius, ac BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſummorum Pontificum mihi in hac parte com-

Digitized by Google

commissâ, & tibi concessâ, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris vel minoris, & ab omni sententia suspensionis & interdicti: & dispenso tecum in omni irregularitate, si quam contraxisti, & restituo te unioni, & participationi Fidelium, nec non sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Eâdem authoritate ego te absolvo ab omni transgressione Votorum tui Ordinis, & Statutorum Papalium, Generalium, Provincialium, Custodialium, Localium, & Synodalium quorumcunque. Eâdem authoritate te absolvo ab omni Divino officio malè persoluto, horis indebitè transpositis, & dimissis. Item eâdem authoritate ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humanâ, ignorantiâ vel malitiâ deliquisti, concedens tibi remissionem, & indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum confessorum, & cunctorum, de quibus etiam non recordaris, aut oblitus fuisti, in quantum claves Ecclesiæ se extendunt. Item eâdem authoritate absolvo te à pœnis purgatorij, quas pro peccatis commissis, & delictis in hoc mundo perpetratis, meruisti; restituendo te illi statui innocentiæ in quo eras, quando baptizatus fuisti: in nomine Patris †, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Quod si hâc vice non discesseris, reservo tibi hanc gratiam usque ad extremum mortis tuæ articulum.

Ubi verò periculum hanc prolixam absolutionem non pateretur, dicatur hac brevior ex Rit. Ord.

Digitized by Google

Authoritate Domini nostri Jesu Christi, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, & Summorum Pontificum mihi in hac parte commissâ, & tibi concessâ: concedo tibi indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum secundùm Ordinis nostri privilegia; quòd si fortè hâc vice non moriaris authoritate prædictâ reservo tibi hanc indulgentiam pro vero mortis articulo. In nomine Patris † & Filij, &c.

X. *Sciendum autem juxta probabiliorem sententiam, neminem lucrari hoc beneficium, nisi qui per annum integrum quâvis septimanâ dixerit Psalm: Pœnitentiales cum Litanijs omnium Sanctorum, quòd si justo impedimento fuit impeditus, aut ex inadvertentia sæpius omiserit, possit supplere defectum per hebdomadas anni sequentis, qui verò legere non potuerunt, possint ex præscripto Confessarij alias preces hebdomadatim ut præfertur persolvere; & tametsi aliqui putent, hanc gratiam per alia privilegia esse concessam sinè obligatione precum, verumtamen in re dubia, unde tantum bonum morienti evenire potest, tutiora sequi oportet. ità Neüsser Disp. 19. q. 21.*

Finitâ hâc absolutione adhortetur infirmum, ut ad majorem gratiam impetrandam etiam renovet Professionem suam, corde & ore dicens:

Formula Professionis.

Ego Frater N. voveo, & promitto Deo ompotenti, Beatissimæ Mariæ V. Beato Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Papam Honorium confirmatam: vivendo in Obedientia, sinè Proprio, & in Castitate.

Ich

Ich Bruder N. thue ein Gelübd/ und verspreche dem Allmächtigen GOtt/ der Seeligsten Jungfrauen Mariä/ dem Heiligen Francisco/ und allen Heiligen/ und der Vatter alle die Zeit meines Lebens zu halten die Regel der Mündern Brüder/ durch den Herrn Pabst Honorium bekräfftiget: lebend in Gehorsamb/ ohne Eygenschafft/ und in Keuschheit.

XI. *Renovatâ Professione, antequam Sacerdos incipiat ungere infirmum, admoneat Patres & Fratres, ut pro ipso orent flexis genibus Psalm. Pœnitentiales cum Litaniis omnium SS. vel si moram non patitur, locò eorum Litanias sequentes, quibus præmittet hæc verba:*

Parce Domine, parce Famulo tuo Confratri nostro N. quem redemisti Christe Sangvine tuo, nec in æternum iraſcaris ei.

Tum sumens pixidem cum S. Oleo accedit ad infirmum, eúmque adhortatur, ut sub ipsa sacra unctione elicias veram contritionem, implorétque divinam misericordiam: ut dignetur ipsi omnia delicta per externos & internos sensus commissa clementer ignoscere. Posteà à Fratribus inchoëntur & dicantur devotè ac tardè Litaniæ: Sacerdos verò dicat: In nomine Patris, &c. *ut infra post Litanias.*

Litaniæ sub administratione Extremæ Unctionis.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,	Miſerere ei.
Fili Redemptor mundi Deus.	Miſerere ei.
Spiritus ſancte Deus.	Miſerere ei.
Sancta Trinitas unus Deus.	Miſerere ei.

Digitized by Google

Sancta Maria, Ora pro eo.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro eo.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro eo.
Sancte Michaël, Ora pro eo.
Sancte Gabriel, Ora pro eo.
Sancte Raphaël, Ora pro eo.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Orate pro eo.
Omnes sancti Throni & Dominationes,
Omnes sancti Principatus & Potestates,
Omnes sanctæ Virtutes cœlorum,
Omnes sancti Cherubim & Seraphim,
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ,
Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ,
Omnes sancti Martyres & Confessores,
Omnes sancti Monachi & Eremitæ,
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ,
Omnes sancti Infantes & Innocentes,
Omnes sancti Pœnitentes & Confitentes,
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, } Orate pro eo.
Propitius esto, Parce ei Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera eum Domine.
Ab omni peccato, Libera eum Domine.
Ab ira tua, Libera eum Domine.
Ab insidijs diaboli, Libera eum Domine.

A ten-

Digitized by Google

A tentatione diabolica,
Ab omni impatientia,
A gravibus doloribus,
A subitanea & improvisa morte,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ,
Per dulcissimam Nativitatem tuam,
Per amabilem Infantiam tuam,
Per labores & dolores tuos,
Per agoniam & derelictionem tuam,
Per flagellationem & coronationem tuam,
Per bajulationem & crucifixionem tuam,
Per mortem & Sepulturam tuam,
Per Resurrectionem & Ascensionem tuam,
Per Adventum Spiritûs sancti Paracliti,
In die judicij,
Libera eum Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas,
Ut ei indulgeas,
Ut pacem & sanitatem ei dones,
Ut spatium & locum pœnitentiæ ei tribuas,
Ut omnes cogitationes pravas ab eo auferas,
Ut illicitas voluptates ab eo repellas,
Ut gratiam sancti Spiritûs cordi ejus infundas,
Ut pœnitentiam & cordis compunctionem ei cõferas,
Ut remissionem omnium peccatorum ei tribuas,
Te rogamus audi nos.

Ut

Digitized by Google

Ut eum à lecto ægritudinis tuâ potentiâ erigas, Te rogamus audi nos.
Ut insidias diaboli ab eo repellas, Te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce ei Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere ei Domine.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

In nomine Patris, † & Filij, & Spiritus sancti.

Hic imponat manum super caput ejus dicens:

Extingvatur in te omnis virtus diabolica per impositionem manuum nostrarum, & per invocationem omnium Sanctorum, Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

XII. *Tum unâ manu vas S. Olei gestans, alterâ pollice in S. Oleo intincto, ungat destinatas partes infirmi in formam crucis, distribuens verba cujusque unctionis ad ambas partes, priùs dextram, posteà sinistram inungens: oculorum quidem palpebras, aurium infimam partem utpote planiorem, narium verò intimam, labiorum extremam, pedes in superiori parte, manus verò interiùs, nisi sit Sacerdos; hujus enim manus tantùm exteriùs inunguntur, egroto ad omnes unctiones, si potuerit, respondente,* Amen. *Post quamlibet unctionem Sacerdos tergat loca inuncta novo globato bombycino jam ante præparato, quos in scutellam vel thecam chirotheam reponat.*

Priùs igitur oculos inangens faciendo signum crucis intincto pollice super palpebras tantùm dicat:

Ad

Digitized by Google

Ad Oculos clausos.

Per istam sanctam ✠ unctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti. Amen.

Ad aurium infimam partem.

Per istam sanctam ✠ unctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per auditum deliquisti. Amen.

Ad nares.

Per istam sanctam ✠ unctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per odoratum deliquisti. Amen.

Ad os compressis labijs.

Per istam sanctam ✠ unctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per gustum & locutionem deliquisti. Amen.

Ad manus Sacerdotum exteriùs, aliorum interiùs.

Per istam sanctam ✠ unctionem & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum deliquisti. Amen.

Ad pedum superiorem partem.

Per istam sanctam ✠ unctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per gressum deliquisti. Amen.

Ad lumbos sive renes.

Per istam sanctam ✠ unctionem, & suam pijssimam misericor-

Digitized by Google

ſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per lumborum delectationem deliquiſti. Amen.

XIII. *Quando ex mora notabile periculum timeretur, ut ſi peſte correptus in anguſta cella decumberet, ſatis erit ad vitandam contagionem inungere unicum corporis ſenſum, dicendo:*

Per iſtam ſanctam ✠ unctionē, & ſuam pijſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum & locutionem, tactum, greſſum, & lumborum delectationem deliquiſti. Amen.

XIV. *Omnibus unctionibus peractis, Sacerdos pixide S. Olei coopertâ ac ſupra menſam collocatâ micas panis accipiens, manu tergat, & abluat: ablutio verò in ſacrarium eſt projicienda ſimul cum cineribus goſſipij ſeu ſtuppæ combuſtæ quâ loca inuncta abſterſa ſunt. Ablutione manuum factâ Sacerdos genuflexus dicat:*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter. Et nè nos inducas in tentat: &c.

Verſ: Salvum fac ſervum tuum.

Reſp: Deus meus ſperantem in te.

Verſ: Mitte ei Domine auxilium de ſancto.

Reſp: Et de Syon tuere eum.

Verſ: Eſto ei Domine turris fortitudinis.

Reſp: A facie inimici.

Verſ: Nihil proficiat inimicus in eo.

Reſp: Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Verſ: Domine exaudi orationem meam,

Reſp: Et clamor meus ad te veniat.

Verſ: Dominus vobiſcum. *Reſp:* Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

DOmine Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Cura quæsumus Redemptor noster, gratia sancti Spiritûs, langvores istius infirmi, ejúsque sana vulnera, & dimitte peccata: atque dolores cunctos mentis & corporis ab eo expelle, plenámque interiùs & exteriùs sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus, ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

REspice, quæsumus Domine Famulum tuum N. in infirmitate sui corporis fatiscentem: & animam refove, quam creasti; ut castigationibus emendatus, se tuâ sentiat medicinâ salvatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem tui Nominis benignus assiste, ut Famulum tuum ab ægritudine liberatum, & sanitate donatum dexterâ tuâ erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ

Digitized by Google

tuæ ſanctæ cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

XV. *Hic ſurgens alloquitur Infirmum hoc modo.*

Adm. Ven. Pater (vel Chariſſime Frater) jam maximas agat Deo gratias, quòd ipſi conceſſerit hoc ſalutare Sacramentum ſuſcipere & per virtutem ejuſdem in gratia Divina corroborari; dicat ergo unà mecum ſequentem orationẽ:

DOmine Jesu Chriſte, ex toto corde meo ago tibi gratias, quòd dignatus ſis mihi hoc Sacramentum conferre, méque virtutis ejuſdem participem facere. Obſecro igitur te, ut per illud ipſum digneris mihi peccata mea remittere, reliquias peccatorum tollere, pœnas debitas condonare, contra tentationes diabolicas roborare, in gratia tua confirmare. Et ſiquidem tibi placitum, mihíque ſalutare fuerit, priſtinam ſanitatem reddere: aut certè felicem finem concedere. Quod mihi præſtare digneris propter infinitam bonitatem tuam, & per merita amariſſimæ paſſionis & mortis tuæ. Amen.

XVI. *Abſolutá oratione, etiam infirmus gratias agat pro omnibus beneficijs, ſibi in ſacro Ordine præſtitis: & ſi quas adhuc habet reculas, P. Guardiano plenè extradat, séque ab omnibus prorſus expropriet, ità ut juxta exemplum Chriſti ac B. Patris N. Franciſci, extremè pauper vivere & mori deſideret. Roget tamen pro amore Chriſti, ut ſibi viliſſimus habitus concedatur, quô nuditatem ſuam operire, & in eo ſepeliri queat.*

Deinde det ei Crucem oſculandam dicens:

Hanc ſacram Crucem tanquam ſcutum contra adverſari-

os

Digitized by Google

os in manus accipiat, & sæpiùs devotè osculans dicat:

Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Salvator mundi salva me, qui per crucem & sangvinem tuum redemisti me: auxiliare mihi, te deprecor Domine Deus meus.

Dulcissime Jesu, ago tibi gratias, quòd tanta pro me passus sis. in signum gratitudinis exosculor sacratissima vulnera tua, & rogo te, ut propter ea dimittas mihi omnia peccata mea.

Demum det ei sequentem Benedictionem.

Dominus JESUS Christus apud te sit, ut te defen✠dat; intra te sit, ut te refi✠ciat; circa te sit, ut te conser✠vet; ante te sit, ut te dedu✠cat; post te sit, ut te confor✠tet; super te sit, ut te undique muniat, & bene✠dicat: Spiritus sanctus descendat, & maneat super te. Amen.

Datâ Benedictione aspergat eum aquâ benedictâ dicens:

Per aspersionem pretiosissimi Sangvinis Domini nostri Jesu Christi, & per virtutem amarissimæ passionis & mortis suæ; purificet Dominus animam tuam, ab omni macula, & liberet te ab omni tentatione diabolica. In nomine Patris ✠, &c.

Et Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠, & Filij, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper tecum. Amen.

His omnibus expletis eodem ordine, quâ sacrum Oleum allatum est, reportetur ad suum locum, repetendo Psalm. Miserere.

Digitized by Google

CAPUT XLIII.

De Ritu assistendi moribundis & agonizantibus.

CUm moribundis gravissima pugna, summúmque periculum subeundum sit, ideò maxima illis debetur charitas & continua assistentia. Adsit in infirmaria devotus Crucifixus infirmo in manus dandus, ab eóque sæpius affectuosè osculandus, & amplexandus ut supra. Adsit vasculum aquæ benedictæ, quâ infirmus frequenter se ipsum aspergat, & ab alijs ipsum visitantibus aspergatur, ad effugãdos dœmones, eorúmq; pravas suggestiones & inspirationes. Adsit cereus in Festo Purificationis benedictus agonizanti in manus dandus. Adsint numismata indulgentias habentia, Rosariũ, Agnus Dei & Reliquiæ super agonizantis caput vel pectus ponenda. Demum Superior provideat: ut diu noctúque unus vel plures Fratres infirmo assistant, qui de rebus spiritualibus cum illo loquantur, eúmque in doloribus & anguſtijs suis consolentur, nec non salutaribus monitis hortentur, ac excitent, ut dum mente viget, eliciat actus Fidei, Spei, & Charitatis, aliarúmque virtutum, nimirum:

I. Ut firmiter credat omnes articulos fidei, & quidquid sacra Romana Ecclesia Catholica & Apostolica credit, & docet.

II. Ut speret Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, & merito ejus SS. Passionis, & per interceſſionem B. Mariæ Virginis, B.P.N. Francisci, & omnium Sanctorum, se vitam æternam consecuturum.

III. Ut toto corde diligat, & maximè diligere cupiat Dominum Deum suum eâ dilectione, quâ diligunt Beati, & omnes Sancti.

IV. Ut ob amorem Dei doleat de omni offensa qualitercunque contra Deum, proximum, & Regulam suam Seraphicam commissa.

V. Ut ex toto corde ignoscat omnibus ijs, qui ipsi verbo aut facto aliquo nocuerunt, idque propter amorem Crucifixi Domini sui.

VI.

Digitized by Google

VI. Ut, quem patitur dolorem, & morbi molestiam, propter Deum in remissionem peccatorum suorum patienter toleret.

VII. Ut, si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis à peccatis cavere, & ejus mandata servare.

VIII. Ut, si dæmon illi, vel contra fidem, vel contra spem salutis æternæ, vel contra charitatem Dei aliquid suggesserit, vel se ad errorem vel desperationem, vel meritorum suorum præsumptionem pertrahat, ut nunc pro tunc omnes hujusmodi suggestiones detestetur, & contra eas protestetur.

Porrò cum infirmo valde pium & utile sit, dolores & angores suos sæpe Deo offerre, vel Christo offerendos præsentare, quod Christus ipsemet B. Mechtildi suaserit, eique sequentia suspiria suggesserit, qua proinde quivis infirmus sæpe ruminare, & ore (saltèm per intervalla) proferre conabitur.

Suspiria infirmi ad Christum.

ECce mi dulcissime Jesu, quàm miser hìc jaceam, quámque gravibus doloribus opprimar.

Est quidem hæc infirmitas mihi valde tædiosa: attamen amore tui libens eam patiar.

In dulcissimum cor tuum depono omnes dolores meos: & per idipsum offero tibi eosdem ad æternam laudem tuã.

Nôsti, pijssime Jesu, quod non multùm orare valeam: idcircò deprecor te, ut cor tuum Divinum hunc defectum meum suppleat.

Dignare mi dulcissime Jesu, æterno Patri tuo pro hac infirmitate mea gratias agere: sicuti ei in cruce pro cunctis doloribus tuis regratiatus es.

Velis

Digitized by Google

Velis quoque pro me omnes preſſuras meas pijſſimo Patri tuo offerre : ſicut ei cunctas adverſitates tuas in gratiſſimum holocauſtum obtuliſti.

Reſigno me liberrimè in gratiſſimam voluntatem tuam, ſicut tu ipſe in voluntatem paternam te ipſum reſignâſti.

Tali intentione deſidero hanc infirmitatem meam perferre, quali tu amariſſimam Paſſionem & Mortem tuam ſuſtinuiſti.

Tali charitate infirmitatem hanc meam ſuſcipio, quali tu mihi eandem de cœlo tranſmiſiſti.

Unio dolores meos doloribus tuis : commiſceóque eos doloribus omnium Martyrum tuorum.

Cum tali amore deſidero pro te pati, quali tu pro me tam multa adverſa paſſus es.

Deſidero tibi hâc ſufferentiâ meâ talem honorem exhibere, qualem tu Paſſione tuâ æterno Patri tuo exhibuiſti.

Utinam pro fide Catholica hæc ſuſtinere deberem, quæ pro peccatis meis ſuſtinere debeo.

Utinam hâc infirmitate meâ cunctos dolores tuos tibi recompenſare poſſem, quos tu pro peccatis meis tam promptè ſuſtinuiſti.

Offero tibi cuncta membra corporis mei, ut ea torqueas juxta gratiſſimam voluntatem tuam.

Utinam dolores tuos in corpore meo perferre poſſem, quos tu in tota paſſione tua pro me pertuliſti.

Paratus ſum tam diu pati, quàm diu tibi bene viſum fuerit. Quid-

Digitized by Google

Quidquid patior, & passurus sum, amore tui patiar: nec aliam inde quæro mercedem, quàm ut tibi placeam.

Si adauges dolores, adauge quoque patientiam: tu enim nôsti nimiam meam miseriam.

Da Domine, ut cum gaudio patiar: tibíque omni momento novum beneplacitum exhibeam.

Resigno me igitur denuò in gratissimam voluntatem tuam, tuóque corde, ore, & intentione dico:

Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Amen.

Alia Suspiria, sive Oratio Animæ in extremo vitæ periculo laborantis.

O Mi dulcissime Jesu, in hac mea extrema necessitate, ego indigna creatura tua & peccator maximus, ad te humili & contrito corde confugio, confisus quod, qui latronem serò pœnitentem suscepisti, nec me peccatorem repelles. Ecce Domine mi, tenent me undique angustiæ, undique premor, undique invador. Si tu me ejicis, quis me recipiet? Si tu destituis, quis me consolabitur? Totum igitur me trado voluntati tuæ: non enim possum vivens, aut moriens manus tuas effugere. Pro vitæ prorogatione non rogo, Deus meus, sed te, qui es vita æterna, in animam meam invoco. Heu dulcis amator! Heu Domine mi! quòd te unquam offenderim, quòd tuas inspirationes & monita tam sæpe neglexerim, quod unquam aliud

Digitized by Google

præter te amaverim, pro hoc doleo, Deus meus, atque utinam des mihi, ut ex vero corde doleam. Si vis ut ex hac infirmitate moriar, ſuſcipe ſpiritum meum, licèt ad veſperam venerim omnium noviſſimus. Si me aliquamdiu purgatorij pœnis tradere velis, fiat voluntas tua: plurima enim in me eſſe ſcio quæ purgatione opus habent, priuſquam ad tuam ſanctam ſocietatem pervenire merear. Si me perpetuis gehennæ tormentis tradas, ſis benedictus: nihil enim aliud quam gehennam commerui; durum tamen mihi valde eſſet ab amabili facie tua ſeparari: in omnibus tamen fiat voluntas tua ad gloriam tuam. Sed reminiſcor pretioſi ſangvinis tui pro me effuſi, & ſpero fruſtrà effuſum non iri. Tuo ſangvine, tuis pœnis, tuis meritis, ſvaviſſime Jesu, tibi ſatisfacere volo pro peccatis meis: his mihi cœlum comparabo. Pro vitæ igitur prorogatione non rogo, tu enim nôſti, qualiter me gererem in hac vita, ſi convaleſcerem, fortaſſe te frequenter adhuc offenderem (quò enim diuturnior vita, eò gravior peccatorum ſarcina) ſi tamen me vis convaleſcere, dona mihi gratiam tuam, nè te ampliùs peccatis meis offendam, in omnibus fiat voluntas tua. Amen.

Oratio ad B. Virginem.

Dilectiſſima Virgo Maria, ego miſerrimus confugio ad te, & per te imploro Divinam bonitatem & clementiam. Succurre obſecro mihi in hac gravi neceſſitate, & præbe mihi clienti tuo manus auxiliatrices. O Maria adjuva

Digitized by Google

juva me. O Maria succurre mihi. O Maria intercede pro me. Miserere mihi ô pijssima, miserere mihi : quia multum repleta est anima mea. Repleta est angustiâ, repleta est miseriâ, repleta est omni iniquitate. Deprecor igitur tuam immensam benignitatem, ut me adjuves : nec me miserum nimis derelinquas. O Virgo prædulcissima, post Deum spes mea unica, & auxilium meum es singularissimum. Tantam enim in tua ope posui confidentiam, quòd putem impossibile fore me à Deo derelinquendum, si tu pro me stes, meque in tuam protectionem suscipias. Cor enim Dei in manu tua est, & ad quod volueris, inclinabis illud, Confido igitur in te Domina, & firmissimè confido, & certus sum hanc firmam fiduciam meam non futuram inanem. Tibi ô beatissima, cõmendo, animam meam. Tibi ô pijssima, cõmendo spiritum meum. Tibi ô dilectissima, commendo extremum vitæ meæ momentum. *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

Oratio ad omnes Sanctos.

O Sancti & electi Dei, qui cum Christo in æterna felicitate regnatis, vos omnes & singulos devotè veneror : & auxilium vestrum pro salute animæ meæ instanter imploro. Angeli, Archangeli, Throni & Dominationes, Principatus & Potestates, Cherubim & Seraphim, Patriarchæ & Prophetæ, Apostoli & Evangelistæ, Martyres & Confessores, Virgines & Viduæ, Sanctique & Beati omnes

Digitized by Google

intercedere dignemini pro me famulo & cliente veſtro. Per amorem Domini noſtri Jesu Chriſti deprecor vos, ut animam meam veſtris auxilijs tueri, & è diaboli faucibus eripere dignemini. Sub veſtrum præſidium confugio, ô dilecti amici mei, & veſtram interceſſionem humiliter imploro. Reſpicite miſeriam meam magnam quâ involvor, & conſiderate periculum illud maximum æternæ damnationis, cui obnoxius ſum. Quoniam ecce alieni inſurrexerunt in me, & fortes quærunt animam meam: & quomodo potero laqueis eorum me extricare, nisi veſtro auxilio adjutus? ſi vos me deſpicitis, timeo, nè & Deus me deſpiciat: ſi autem pro me interceſſeritis, certè non deſpiciet preces veſtras Deus. Igitur in manibus veſtris ſunt ſortes meæ: & ſalus mea juxta veſtrum beneplacitum dirigetur. Nè ergò pereat anima illa mea, pro qua Chriſtus mortuus eſt, & cum qua vos æternum gaudere deſideratis.

Idcircò ſubvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam meam; offerentes eam in conſpectu Altiſſimi: veſtríſque glorioſis meritis, & precibus placate diſtrictum Judicem Dominum noſtrum Jesum Chriſtum. Qui me clementer & veſtris choris aſſociare dignetur. Amen.

Teſtamentum Animæ.

Hoc Teſtamentum eſt valde efficax, cùm contineat exercitium præcipuarum virtutum, ideo non ſolùm ab ægris verùm etiam à ſanis ſæpius cum devotione repetendum.

Quo-

Digitized by Google

QUoniam ego miserrimus peccator de morte mea certus, at de hora ejus incertissimus sum; hinc modo dum mihi adhuc optimè præsens sum, coram te, ô beatissima Trinitas, atque coram tota cælesti curia ultimam voluntatem meam, qualiter vivere & mori cupiam, declarabo: super qua, nè unquam immutari queat, Testamentũ, quod usque in æternum sit irrefragabile, condam, & erigam: est autem tale.

Primò. In optima forma, modóque efficacissimo lego, adscribo, & integrè trado tibi, ô beatissima Trinitas, corpus & animam meam, omniáque opera, quæ toto vitæ meæ decursu operatus sum: atque summas & immortales ago tibi gratias, quòd me creaturam rationabilem creaveris, sacro baptismate regeneraveris, aliisque Sacramentis sanctificaveris, nec non ad hanc sacram Religionem vocaveris, atque infinitis bonis in corpore & anima in particulari & universali affeceris: quæ omnia bona, omnésq; gratias tam spirituales, quàm corporales, quas unquam à te accepi, tibi Domino Deo meo soli adscribo, fateórque quòd ex abyssali tua benignitate, atque Sanctorum tuorum intercessione millecuplò plùs boni mihi præstiteris, quàm de te promeritus sum: quódque tam in corpore, quàm in anima, tam in prosperis, quàm adversis congruentissimo modo mihi provideris, quòd hoc nulla potentia, sapientia aut bonitas extra te, prævaluisset: de quo maximas, quas possum, in æternum tibi decantabo laudes & gratias. *Secun-*

Digitized by Google

Secundò. Veram fidem, quam in baptiſmo accepi, omnéſque ac ſingulos ejuſdem articulos firmiter credo, atque profiteor, tali modo ac formâ, quali ſancta Catholica Eccleſia eoſdem credit, ac profitetur: paratiſſimúſque invenirer, potiùs vitam & ſangvinem effundere, quam vel unicum veræ fidei articulum abnegare, & ſi fortè in morte mea diabolico inſtinctu quidquam huic ſacræ fidei contrarium cogitarem, dicerem aut facerem, id modo omninò irrito atque invalido.

Tertiò. Omnia & ſingula peccata à juventute mea uſq; in hanc horam quomodocunque aut qualitercunque, ſingulariter autem contra meam Regulam & tria vota eſſentialia perpetrata deteſtor & abominor, de iiſque ex mero tui, ô pientiſſime Deus meus, amore, vehementiſſimè doleo, milliéſque plùs dolere deſidero, & in ſuppletionem doloris illius, qui mihi deeſt, offero tibi contritionem illam, quam Unigenitus tuus pro totius mundi peccatis habuit: & ut pro graviſſimis à me tibi irrogatis injurijs ſaltèm aliqualiter tibi ſatisfaciam, offero, & exhibeo me paratum, quamcunque de me vindictam ſumere volueris, libentiſſimè ſufferre: quia verò omnis mea ſatisfactio longiſſimè inſufficiens eſt, hinc ad abundantiſſimos Jesu Chriſti meritorum theſauros confugio, offerendo tibi omnem ejus paſſionem, quam ab inſtanti conceptionis ſuæ pertulit uſque in illam horam, quâ inclinato capite tradidit ſpiritum, atque in ejuſdem ſacratiſſima Vulnera immergo, & abſcondo

Digitized by Google

do omnia peccata, & negligentias meas: rogans ut pretiosissimo ejus Sangvine omnes maculas meas eluere, ignéque charitatis ejus conflagrare digneris.

Quartò. Ab omnibus, & singulis, quos verbo aut facto unquam contristavi, humillimè veniam deprecor, paratúmque me offero omne damnum honoris atque bonorum illis juxta mensuram justitiæ compensare. Omnibus autem, qui me unquam verbo aut facto offenderunt, ex animo remitto omnem injuriam & vindictam, sicut Christus in cruce inimicis & crucifixoribus suis ignovit, pro iisque Patrem suum exoravit.

Quintò. Agnosco, & profiteor me per propria merita cœlum adipisci non posse, unde nec in ijsdem, sed in meritis atque Passione dilectissimi Filij tui, Sanctorúmque patrocinijs confido, quibus tam firmiter innitor, quòd nequaquam mihi imaginari queam, licèt millies plùs te offendissem, me æternaliter periturum; utpote cùm sciam misericordiam tuam in infinitum transcendere, passionémque Filij tui sinè mensura præponderare omnibus peccatis meis.

Sextò. Me ipsum totum cum omnibus, quæ sum, & possum, integerrimè committo, & resigno tuæ sanctissimæ voluntati, orans & optans, ut illa de me, per me, & circa me perfectissimo modo adimpleatur. Non cupio unicâ horâ diutius vivere, quàm tibi placet; non cupio hâc vel illâ morte, vel infirmitate hinc discedere, sed solummodo illâ,

Digitized by Google

illâ, quam tu mihi immiſeris; imò ſi mihi liberum eſſet adhuc mille annis in omnibus delitijs vivere, malim tamen, ſi tuæ voluntati conforme eſſet, hâc horâ decedere, quàm præter eandem vel unico momento vivere.

Septimò. Amo te, Deus meus, amor meus, & in æternum te amare cupio, quia propter ſummam perfectionem & magnificentiam omni amore digniſſimus es, & utinam millies plùs te amare poſſem; imò ſi omnium hominum & Angelorum corda & affectus haberem, libentiſſimè illa in tui amorem converterem: quoniam verò, ùt par eſt, te amare nequeo, hinc rogo, ut temetipſum pro me tali amore, quali dignus es, amare velis.

Octavò. Proteſtor me nihil proprij ob amorem mei amantiſſimi Jesu in hoc mundo poſſidere, nec ad ullam rem hujus ſæculi affectum habere: ſed deſidero ad imitationem S. P. mei Franciſci, ejúſque Regulæ præceptum in altiſſima paupertate ſemper hìc vivere, & tandem Deo diſponente abſque omni proprio hinc diſcedere.

Nonò. Proteſtor, quòd ut verus Catholicus mori atque SS. Confeſſionis, Communionis, & extremæ Unctionis Sacramentis communiri deſiderem: cupio etiam, & exopto omnium Miſſarum, orationum & ſuffragiorum, quæ uſque ad diem judicij fient, particeps fieri; imò, ſi eſſet penes me, ordinarem, ut omni die ſuper omni Altari, & ab omnibus Sacerdotibus pro me defuncto Sacrificium Miſſæ uſq; ad finem mundi offerrent: quod quoniam in opus

dedu-

Digitized by Google

deducere nequeo, hinc rogo te, ô Christe Jesu, ut temetipsum pro me Patri tuo offeras in holocaustum, & juge sacrificium pro peccatis meis innumeris: insuper rogo, ut animæ meæ in extrema sua angustia unicum tristissimi & in agone constituti cordis tui suspirium donare, unicámque sanguinis tui guttulam in salutem meam provenire concedas.

Demum. Animam & spiritum, ultimúmque momentum vitæ meæ in manus Divinas, & in tutelam B. Mariæ V. nec non S. Josephi, S. Francisci, S. Antonij Paduani, omniúmque sanctorum efficacissimè commendo, ipsósque devotissimè deprecor, ut dignentur mihi in agone meo assistere.

Obsignatio Testamenti.

NUnc igitur, ô Beatissima Trinitas, coram te, & coram tota curia cœlesti contestor & profiteor, quòd omnia, quæ in hoc Testamento continentur, sint mea seria & ultimata voluntas; quódque desiderem hoc meum Testamentum validum & irrevocabile permanere. Casu quo verò ego ipse cogitatione, verbo aut opere idipsum revocarem: hisce protestor, quòd hæc mea revocatio nulla, frivola & invalida habeatur. Idcircò supplico tibi, Sancte Joannes Evangelista regni cœlestis Archi-Cancellarie, ut super hoc testamento meo publicum instrumentum perficias, illúdque propriæ manus tuæ subscriptione, & vulnerum Christi appressione subsignes & communias. Sícque subsigna-

Digitized by Google

tum tuæ cuſtodiæ committo, ut omni tempore SS. Trinitati in conteſtationem ultimæ voluntatis meæ præſentare valeas. Amen.

De Agone Fratris.

DUm infirmus ad agonem pervenire videtur, infirmarius admoneat Superiorem, ut agonizanti per preces Fratrum ſuccurere dignetur. Igitur juſſu ejus, quicunque poterunt, ad infirmariam vadant, & quamdiu ipſe auditum habere advertitur, Superior vel Confeſſarius ſequentia, vel ſimilia ſuſpiria ipſi ſuggerat, aut ſuaviter in aurem inclamet. Fratres verò circa lectum genuflexi eadem ſuſpiria unà cum Superiore nomine infirmi corde vel ore pronuntient, aut alijs precibus eidem extremè indigenti ſuccurrant. Nec leve piaculum ſe commiſiſſe exiſtiment, ſi hoc ex nègligentia omiſerint: quia ex lege charitatis, quæ eſt primum & maximum mandatum, tenetur quilibet proximo, multò magis Fratri ſuo in ſummo vitæ & ſalutis periculo conſtituto, quantùm poteſt, ſubvenire, & id, quod ſibi in ſimili caſu vellet fieri, alteri præſtare. Igitur iſti Fratres, qui agonizantem, dum commodè poſſunt, adire renuunt, aut interim in Eccleſia, vel ſua cella pro ipſo devotè orare omittunt, gravem reprehenſionem merentur, & juſtè timere habent, nè & ipſi in ſuo agone auxilio Fratrum privandi ſint.

Inprimis cùm non modicum plerumque ſolatium moribundi ex oſculo Crucifixi reportare ſoleant. Ideò Superior vel Confeſſarius eundem moribundo (ſi adhuc ſibi præſens eſt) præbeat, & dicat:

Accipe Frater chariſſime crucem hanc benedictam, & accipiendo eam, recordare quanta Redemptor tuus pro te paſſus ſit. Oſculare ejus Sacratiſſima quinque vulnera, & dic cum devotione:

O Cle-

Digitized by Google

O Clementissime Jesu, per dolores, per vulnera, per sanguinem, per mortem tuam rogo te, miserere mei nunc & in hora mortis meæ.

Misericordissime Jesu, pone passionem & mortem tuam inter judicium tuum & animam meam, nunc & in hora mortis meæ.

O pijssime Jesu, propter illam amaritudinem, quam sensit anima tua in egressu suo, deprecor te miserere animæ meæ in exitu suo, & perduc eam in vitam æternam.

deinde suggerat illi sequentia suspiria

Suspiria Agonizanti suggerenda.

JESU Christe prome crucifixe, miserere mei, & dimitte mihi peccata mea.

Mitissime Agne Dei qui tollis peccata mundi, aufer à me omnes iniquitates meas.

Jesu salus infirmorum: Jesu refugium peccatorum: Jesu adjutor agonizantium: ah! nè abjicias me, quia credo in te: ah! nè repellas me, quia spero in te: ah! nè permittas me separari à te, quia amo te ex toto corde, & amare te desidero in æternum.

O pijssime Jesu, succurre mihi. O dilectissime Jesu assiste mihi. O dulcissime Jesu, propitiare mihi.

O Clementissime Jesu, propter dirissimam passionem tuam, miserere mei: propter amarissimam mortem tuam, miserere mei: propter infinitam bonitatem tuam, miserere mei.

Digitized by Google

Recordare obsecro, ô bone Jesu, quanta pro me passus sis. Recordare quomodo in cruce pependeris: Recordare quàm amara morte mortuus sis.

Propter illas pœnas tuas, ignosce mihi peccata mea. Propter amaram mortem tuam, remitte mihi debita mea. Propter effusum sangvinẽ tuũ, ablue omnes maculas meas.

Sangvis tuus, ô Jesu, sit balneum salutare, peccatricis animæ meæ. Crux tua, ô Jesu, sit firma defensio mea contra inimicos meos. Mors tua, ô Iesu, sit mihi præservatio â morte æterna.

In manus tuas, ô Iesu commendo spiritum meum. In vulnera tua, ô Iesu commendo animam meam. In cor tuum ô Iesu, includo anxium cor meum.

O mi Iesu, pone passionem, Crucem, & mortem tuam, inter judicium tuum & animam meam. Ob honorem benedictæ passionis tuæ susci pe me in gratiam tuam. Ob majorem gloriam tuam, scribe me in numerum electorum tuorum.

Credo in te, ô mi Iesu. Spero in te, ô mi Iesu. Diligo te, ô mi Iesu.

Firmissimè credo in te: firmissimè spero in te, cordialissimè diligo te.

Diligo te, ô Iesu, ex roto corde meo: diligo te, ô Iesu, ex tota anima mea: diligo te ô Iesu, ex omnibus viribus meis.

Amore tui, ô Iesu, doleo de peccatis meis. Quia amo te, ô Jesu, ideò doleo de peccatis meis. Quia tu es Iesus meus, ideò doleo de peccatis meis. ô uti-

Digitized by Google

ô utinam, mi Iesu, nunquam te offendissem,
ô utinam, mi Iesu, nunquam peccassem:
ô utinam, mi Jesu, semper te dilexissem.

Propono firmiter, nunquam ampliùs peccare; in æternum non peccare, in æternum te amare.

Ah! ignosce mihi, ô pijssime Jesu: Ah! remitte mihi, ô mitissime Jesu. ah! condona mihi, ô dulcissime Iesu.

Omnia peccata mea demergo in abyssum misericordiæ tuæ, & in cruenta vulnera tua: & in transfixum cor tuum.

Pro satisfactione eorum offero tibi amarissimam passionem tuam, pretiosissimum sangvinem tuum & infinitam satisfactionem tuam.

Confido in bonitate tua, quòd mihi ignoveris, quòd peccata mea deleveris, quòd promeritas pœnas mihi condonaveris.

Amore tui, ô Jesu, libenter moriar. In honorem mortis tuæ, mortem suscipiam: in gratitudinem passionis tuæ diros mortis dolores lubens perferam.

O bone Iesu, suscipe dolores meos: suscipe spiritum meum: suscipe animam meam.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum: in cor tuum Domine commendo cor meum; in mortem tuam Domine commendo mortem meam.

O Jesu, tibi vivo. ô Jesu, tibi morior. ô Iesu, sis mihi Jesus. ô Iesu sis mihi Salvator.

Aspi-

Digitized by Google

Aſpirationes ad B. V. & SS. Patronos.

O Clementiſſima, ô pijſſima, ô dulciſſima Virgo Maria, ſuccure mihi, aſſiſte mihi nunc & in hora egreſſionis animæ meæ à corpore.

O Sanctiſſima V. Maria propter amorem filij tui miſerere mei; propter amariſſimam mortem ejus, ora pro me.

Recordare o pijſſima, quomodo ſub cruce ſteteris: recordare, quomodo filio tuo compaſſa ſis: propter illam cordialiſſimam compaſſionem, compatere mihi afflictiſſimo.

Monſtra te eſſe Matrem: monſtra te eſſe Patronam meam: ut intercedas pro me apud ſeverum Judicem.

Recordare, ô dilectiſſima, quoties tibi agonem meum commendaverim: recordare, quoties te rogaverim, ut aſſiſteres mihi: ergo nunc præſta quod toties rogavi.

O dulciſſima Virgo, tu ſcis, quia amo te: tu ſcis quia poſt Deum in te pono maximam fiduciam meam.

In te Domina ſperavi non confundar in æternum.

O Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria: illos tuos miſericordes oculos ad me converte: & Jesum benedictum fructum ventris tui mihi oſtende.

O Amantiſſima Mater mea in manus tuas commendo ſpiritum meum: in cor tuum pijſſimum commendo agonem meum.

Sancte Angele Dei, qui cuſtos es mei, defende me in hoc prælio, nè peream in tremendo judicio.

S. Jo-

Digitized by Google

S. Joseph, ora pro me: S. Joannes Evangelista, ora pro me. S. P. Francisce, ora pro me. S. Antoni Paduane, ora pro me. S. Barbara, ora pro me. Omnes Sancti Patroni mei, intercedite pro me, & impetrate mihi, ut sanctè felicitérque mori, & in æternum vobiscum vivere, Deúmque laudare valeam.

Commendatio Animæ.

Primò dicantur Litaniæ sequentes.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Sancta Maria,	Ora pro eo.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli,	Orate pro eo.
Sancte Abel.	Ora pro eo.
Omnis Chorus justorum.	Ora pro eo.
Sancte Abraham.	Ora pro eo.
Sancte Joannes Baptista.	Ora pro eo.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ,	Orate pro eo.
Sancte Petre.	Ora pro eo.
Sancte Paule.	Ora pro eo.
Sancte Andrea.	Ora pro eo.
Sancte Joannes.	Ora pro eo.
Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ,	Orate pro eo.
Omnes Sancti Discipuli Domini.	Orate pro eo.
Omnes sancti Innocentes,	Orate pro eo.
Sancte Stephane.	Ora pro eo.
Sancte Laurenti.	Ora pro eo.

San-

Digitized by Google

Omnes ſancti Martyres. Orate pro eo.
Sancte Sylveſter. Ora pro eo.
Sancte Gregori. Ora pro eo.
Sancte Auguſtine. Ora pro eo.
Omnes Sancti Pontifices & Confeſſores. Orate pro eo.
Sancte Benedicte. Ora pro eo.
Sancte Pater Franciſce. Ora pro eo.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ, Orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena. Ora pro eo.
Sancta Lucia. Ora pro eo.
Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ, Orate pro eo.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Orate pro eo.
Propitius eſto, Parce ei Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab ira tua, Libera eum Domine.
A periculo mortis Libera eum Domine.
A mala morte. Libera eum Domine.
A pœnis inferni. Libera eum Domine.
Ab omni malo, Libera eum Domine.
A poteſtate Diaboli, Libera eum Domine.
Per Nativitatem tuam. Libera eum Domine.
Per Crucem & paſſionem tuam, Libera eum Domine.
Per mortem & ſepulturam tuam. Libera eum Domine.
Per glorioſam reſurrectionem tuam. Libera eum Domine.
Per admirabilem aſcenſionem tuam. Libera eum Domine.
Per gratiam Spiritûs Sancti paracliti. Libera eum Domine.

In

Digitized by Google

In die Judicij. Libera eum Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas, Te rogamus audi nos.
Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Deinde cum in agone sui exitûs anima anxiatur dicantur sequentes orationes, & moribundus teneat candelam benedictam ardentem in manu: ac sæpius aspergatur aquâ benedictâ.

Oratio Prima.

PRoficiscere anima Christiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: in nomine Jesu Christi Filij Dei vivi, qui pro te passus est: in nomine Spiritûs Sancti, qui in te effusus est: in nomine Angelorũ, & Archangelorum: in nomine Thronorum & Dominationum: in nomine Principatuum & Potestatum: in nomine Cherubim & Seraphim: in nomine Patriarcharum & Prophetarum: in nomine Sanctorum Apostolorum & Evangelistarum: in nomine Sanctorum Martyrum & Confessorum: in nomine Sanctorum Monachorum & Eremitarum: in nomine Sanctarum Virginum & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei. Hodie sit in pace locus tuus & habitatio tua in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio Secunda.

DEus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas veniâ re-

Digitized by Google

missionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N. & remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo pijssime Pater, quidquid terrenâ fragilitate corruptum, vel quidquid diabolicâ fraude violatum est: & unitati corporis Ecclesiæ, membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemituum, miserere lachrymarum ejus: & non habentem fiduciam nisi in misericordia tua, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio Tertia.

COmmendo te omnipotenti Deo, chariſſime Frater, & ei, cujus es creatura, committo: ut cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itáq; animæ tuæ de corpore, splendidus Angelorum cætus occurrat: judex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: Liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet: jubilantium te Virginum Chorus excipiat: & beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus Ange-

Digitized by Google

Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus: & fugiant qui oderunt eum â facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera â facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, & justi epulentur & exultent in Conspectu Dei. Confundàntur igitur, & erubescant omnes tartareæ legiones, & ministri satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te â cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est, liberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra Paradisi sui semper amæna virentia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina Beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio Quarta.

SUscipe Domine servum tuum in locum sperandæ sibi salvationis â misericordia tua. *Resp:* Amen.

Libera Domine animam servi tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. *Resp:* Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Enoch, & Eliam de communi morte mundi, *Resp:* Amen.

Digitized by Google

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Noë de diluvio. *Reſp*: Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut Liberaſti Abraham de Ur Chaldæorum. *Reſp:* Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Iob de paſſionibus ſuis. *Reſp*: Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Iſaac de hoſtia, & de manu Patris ſui Abrahæ. *Reſp.* Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Lot de Sodomis, & de flamma ignis. *Reſp*: Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti Moyſen de manu Pharaonis Regis Ægyptiorum. *Reſp:* Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti Danielem de lacu Leonum. *Reſp*: Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu regis iniqui. *Reſp*: Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti Suſannam de falſo crimine. *Reſp*: Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti David de manu regis Saul, & de manu Goliæ. *Reſp*: Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti Petrum & Paulum de carceribus. *Reſp*: Amen.

Et ſicut Beatiſſimam Theclam Virginem & Martyrem tuam de tribus atrociſſimis tormentis liberâſti, ſic liberare digneris animam hujus ſervi tui, & tecum facias in bonis congaudere cæleſtibus. *Reſp*: Amen. *Ora-*

Digitized by Google

Oratio Quinta.

COmmendamus tibi Domine animam Famuli tui N. precamurque te Domine Iesu Christe Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti. Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non â dijs alienis creatam, sed â solo Deo vivo & vero, quia non est alius Deus præter te, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine animam ejus in conspectu tuo, & nè memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum, quas suscitavit furor sive fervor mali desiderij: Licèt enim peccaverit, tamen Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non negavit; sed credidit & zelum Dei in se habuit, & Deum qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oratio Sexta.

DElicta juventutis, & ignorantias ejus, quæsumus, nè memineris Domine: sed secundùm magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli. In Regnum tuum Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum Sanctus Michaël Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, & perducant eum in civitatem cælestem Ierusalem. Suscipiat eum Beatus Petrus Apostolus, cui â Deo claves regni cælestis traditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro

Digitized by Google

pro eo ſanctus Joannes electus Dei Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta cæleſtia. Orent pro eo omnes ſancti Apoſtoli, quibus â Domino data eſt poteſtas ligandi átque ſolvendi: Intercedant pro eo omnes ſancti, & electi Dei, qui pro Chriſti nomine tormenta in hoc ſæculo ſuſtinuerunt, ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni cæleſtis: præſtante Domino noſtro Iesu Chriſto: qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, *Reſp*: Amen.

Tres Orationes miræ virtutis

à Circumſtantibus dicendæ dum infirmus agonizat.

Oratio I.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. Ave Maria.

DOmine Jesu Chriſte, per tuam ſanctiſſimam agoniam, & orationem, quâ oraſti pro nobis in monte Oliveti, quando factus eſt ſudor tuus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis interram, obſecro te, ut multitudinem ſudoris tui ſanguinei quem præ timoris anguſtia copioſiſſimè pro nobis effudiſti, offerre, & oſtendere digneris Deo Patri omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum hujus famuli N. & libera eum in hac hora mortis ſuæ ab omnibus pœnis, & anguſtijs, quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. *Reſp:* Amen.

Ora-

Digitized by Google

Oratio II.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster. Ave Maria.

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es, in cruce, obsecro te, ut omnes amaritudines passionum, & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, maximè in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui N. & libera eum in hac hora mortis ab omnibus pœnis, & passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Oratio III.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster. Ave Maria.

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophetæ dixisti: in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui: obsecro te, ut eandem charitatem tuã, quæ te de cœlis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui N. & libera eum ab omnibus passionibus, & pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salva animam ejus in hac hora exitûs sui aperi ei Ianuam vitæ, & fac eum gaudere cum sanctis tuis in gloria æterna. Et tu pijssime Domine Jesu Christe

Digitized by Google

ſte, qui redemiſti nos pretioſiſſimo ſanguine tuo, miſerere animæ hujus famuli tui, & eam introducere digneris ad ſemper virentia, & amœna loca paradiſi, ut vivat tibi amore indiviſibili, qui à te, & ab electis tuis nunquam ſeparari poteſt. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus &c.

Nota, quòd Taulerus in Exhort: ad felicem mortem num: 4. ſcribat, cuidam revelatum eſſe neminem periturum, qui moriens ſequentia verba cum fiducia pronuntiaverit, aut ab alio pronuntiata cum affectu auſcultaverit.

Domine Deus ego ſum miſer ille, quẽ tu pro paterna bonitate tua creaſti, & per ignominioſiſſimam mortem unigeniti tui de poteſtate inimici redemiſti: Tu ſolus imperium & Dominium in me habes, meque ſalvare potes ſecundùm immenſam miſericordiam tuam, in quo ſpero & confido. Miſerere mei Deus & ſalva me.

Si moriens diutius agonizaverit, Fratres non ſtent otioſi, ſed ex charitate fraterna extremè miſero, & in ſummo periculo conſtituto fratri ſuccurrant, vel repetendo litanias ſupra poſitas, vel dicendo ſubſequentes Orationes: per illas enim preces ſuas prohibent Diabolo acceſſum, & multùm conſolantur afflictam agonizantis animam: debent autem humili & ſubmiſsâ voce dici, ut infirmus verba Sacerdotis facilè audire, & bene percipere valeat: hic enim intereà debet agonizanti (maximè ſi adhuc audit, & ſibi præſens eſt) per intervalla unum vel alterum pium ſuſpirium ex ſupra poſitis ſuggerere, vel in aurem ſuaviter inclamare, idque licèt putetur agonizans jam perdidiſſe auditum; ſæpe enim morientes audiunt, quamvis nullo ſigno exteriori indicare valeant.

Ora-

Digitized by Google

Orationes à circumstantibus dicendæ pro agonizante.

Oratio ad Christum.

CHriste Jesu crucifixe, in unione ferventissimi amoris, qui te vitam omnium viventium in cruce mori coëgit, pulsamus ad januam benignissimi cordis tui, & rogamus, ut animæ famuli tui Fratris nostri N. peccata omnia dimittas, & tua sanctissima conversatione, & tuæ acerbissimæ passionis merito, omissa ejus suppleas, eumque superabundantissimam miserationum tuarum multitudinem facias experiri, nósque omnes & singulariter hunc Fratrem nóstrum N. quem proximè vocare dispónis, placito tibi modo præpares, eíque præstes, ut cum vera patientia, perfectâ resignatione, plenâ peccatorum remissione, validissimâ fide, spe firmâ, & integrâ charitate, in perfectissimo statu, in dulcissimum amplexum, & svavissimum oculum tuum, feliciter ad tuam æternam laudem exspiret. Eja dulcissime Redemptor, Domine Jesu, per illas lachrymabiles voces, quas in cruce moriturus edidisti, & passionis doloribus consumptus dixisti, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti*, nè quæso longè facias à famulo tuo Fratre nostro N. tuæ miserationis auxilium: nam ille in hac hora & momento extremæ afflictionis, præ defectione animæ, & consumptione Spiritûs te invocare non valet. Per triumphum sanctæ Crucis & per mortis

Digitized by Google

passionísque tuæ infinitum meritum cogita Domine, de eo cogitationes pacis & non afflictionis, sed misericordiæ & consolationis. Libera eum de omnibus angustijs, tuísque sanctissimis manibus, quas pro eo nobísque omnibus in cruce clavis affigi permisisti, Jesu bone & amantissime Pater, erue eum à tormentis illi debitis, & perduc illum in requiem æternam. Amen.

Oratio ad Beatam Virginem.

O Intemerata, & in æternum benedicta Virgo Maria, totius angustiæ adjutrix, succurre nobis dulciter, & ostende famulo tuo Fratri nostro N. in extremis existenti tuam dulcissimam & glorioſissimam faciem in hac ultima necessitate sua, & dispergе omnes inimicos ejus in virtute dilectissimi Filij tui Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Crucis ejus, & libera eum de omni angustia corporis & animæ, ut laudes dicat Domino Deo suo in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio Ad S. Michaëlem.

S Ancte Michaël Archangele, succurre huic animæ apud altissimum Judicem. O invictissime Pugil assiste huic famulo tuo Fratri nostro N. in extremis laboranti, & eum potenter à Dracone infernali defende, & à visione fraudéque malorum spirituum. Insuper exoramus te, ut in extrema hora vitæ ipsius animam ejus benignè suscipias. ac svaviter in sinum tuum recipias, illamque in locum refrigerij, lucis & pacis perducas cum Domino Jesu æternaliter regnaturam. Amen.

Ora-

Digitized by Google

Oratio Ad omnes Sanctos Cœlites

VOs quoque purissimi Spiritûs cœlestes, nec non omnes Sancti & Sanctæ Dei, subvenite, succurrite huic agonizanti animæ. Ah! nè eam deserite in his summis angustijs ejus, in hac ultima necessitate, à qua tota ipsi pendet æternitas. Ah! juvate, & pro eo apud supremum Judicem Christum Jesum jam jam advenientem intercedite, illum ipsi conciliate, sententiámque, ut mitis sit, ad vitam ei impetrate. Amen.

Cùm verò tempus exspirationis institerit, tunc ferventiùs orationibus instandum à Fratribus genuflexis. Ipse verò moriens, si potest, dicat, vel si non potest, Confessarius vel alius assistens pro eo clarâ voce pronuntiet sequentia.

Suspiria in Exspiratione.

Jesus Maria. Jesus Maria. Jesus Maria.
In manus tuas Domine commendo spiritum meum.
Domine Jesu, suscipe spiritum meum.
Sancta Maria Mater Dei, ora pro me.
Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.
Sancte Joseph, ora pro me, Sancte P. Francisce, ora pro me, Sancte Antoni, ora pro me. &c.
Jesu Fili Dei, miserere mei. Jesu Fili Mariæ, miserere mei. Jesu credo in te. Jesu spero in te, Jesu diligo te, Jesu tibi vivo, Jesu tibi morior, ô bone Jesu, esto mihi Jesus & salva me.

Digitized by Google

Jesus, Maria, Joseph, in manus vestras commendo spiritum meum.

Egressâ animâ de corpore statim dicatur Responsi:

Subvenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini: suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. Suscipiat te Christus, qui vocavit te: & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kyrie eleyson Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster.

Vers: Et nè nos inducas intent: *Resp:* Sed libera nos à malo.
Vers: A porta inferi. *Resp:* Erue Domine Animam ejus.
Vers: Requiescat in pace. *Resp:* Amen. *Vers:* Domine exaudi. *Vers:* Dominus vobiscum.

Oremus.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui Fratris Nostri N. ut defunctus sæculo tibi vivat & quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge Per Christum &c:
Vers: Requiem æternam dona ei Domine.
Resp: Et lux perpetua luceat ei.
Vers: Requiescat in Pace. *Resp:* Amen.

Dicantur quinque Pater noster & Ave Maria.

SI Frater matutino tempore agonizat, vel defungitur, jubeat superior, ut omnes Missæ pro eo legantur. Cùm primùm mortuus

Digitized by Google

tuus fuerit, statim detur signum campanâ, uti vesperi pro salutatione angelica fieri solet; si verò obitus noctu, dum omnes quiescunt, contingeret, signum illud usque ad Matutinum differatur.

Corpus defuncti aquâ tepidâ, herbis odoriferis conspersa, à Fratribus laicis lavetur, & sub eadem Psalm: *Miserere* & *Deprofundis* ab ijsdem pro defuncto recitentur. Deinde obsoleto habitu, chorda & femoralibus induatur: in feretrum collocetur, caput competenter caputio (ut tamen facies patula sit) tegatur, atque in sacellum Infirmorum, aut aliquod Oratorium deferatur. Crux ad caput, lampas, aut candela ardens ad pedes ponatur, quæ tam diu ardere debet donec defunctus sepeliatur. Omnium, tam sacerdotum, quàm Clericorum, ac Laicorum brachia in modum crucis ponantur, in dextra manu Regulam, in sinistra Rosarium ac super pectus Crucifixum gerant; & si Sacerdos fuerit etiam in modum crucis stola violacea à collo pendeat; capiti corona ex Rosmarino, aut alijs floribus imponatur, totúmque cadaver, floribus, herbis odoriferis, & sertis ornetur.

CAPUT XXXXIV.

De sepultura & Exequijs Defuncti Fratris.

POstulat religiosa & fraterna charitas, ut Frater defunctus majori quâ decet solemnitate funebri, adeoque cum persolutione officij integri mortuorum, solemni Sacro, alijsque præscriptis à Rituali Ordinis ritibus funebribus sepeliatur. Post competens igitur temporis intervallum, quò nullus omninò de morte relinquatur dubitandi locus, quale in repentina morte defuncti requiritur spatium integri diei naturalis, in alijs verò ad minus spatium duodecim horarum, *Corsetti Tract: 2. p. 2. c. 13. n. 2.* tempore sepulturæ priùs à Superiore promulgato, quod decentiùs est, ut sit matutinum, quàm pomeridianum, hotâ octavâ vel nonâ, prout Superiori visum fuerit. Priùs Fratres per frequentes campanæ Monasterialis ictus ad chorum convocentur: ubi singulis candelæ,

Digitized by Google

læ, (quas decet esse communes seu flavas, sicut & in Altarium ministerijs) distribuantur: quæ inaccensæ ferantur, usque ad corpus defuncti. Superior verò in sacristia induatur superpelliceo, & stolâ nigrâ; Cruciferarius verò sit paratus cum cruce hastili, itidemque duo Ceroferarij cum accensis candelis, & præterea duo Clerici, quorum unus deferet Thuribulum cum navicula, alter verò vasculum aquæ benedictæ cum aspergillo: Infirmarius verò, ubi cella in qua corpus jacet commodum pro faciendis ritibus accessum non præberet, corpus extra in ambitu loco patulo statuat, quò faciliùs feretrum in humeros sumi possit.

His peractis ordinetur Processio: præcedit Cruciferarius medius inter duos ceroferarios, deinde reliqui Fratres bini & bini, primò Juniores, deinde seniores, post illos duo Clerici, unus cum thuribulo & navicula à dextris, alter cum aqua benedicta à sinistris postremò sacerdos incedat cum Rituali.

Cùm ad defunctum pervenerint Cruciferarius se statuat ad caput defuncti medius inter ceroferarios, reliqui verò Fratres feretrum circumstantes cereos accendant. Sacerdos verò corpus defuncti accedens illúdq; in modum crucis aspergens dicat: *Rore cæleſti perfundat animam tuam Deus. In Nomine Patris &c.* posteà incipiat. *Antiph.*

Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit. *deinde à bipartito Choro* Psalmus *De profundis* alternatim dicatur, & antiph: *ſi iniquitates &c.* repetatur; quâ finitâ, defunctus ex Capella efferatur, vel, si jam in ambitu fuerit, levetur. Qui si fuerit sacerdos à sacerdotibus, si Clericus à Clericis, sin Laicus à Laicis, ubi horum adest sufficientia, sin minùs ab ijs, qui à Superiore ordinati sunt; (nam necessitas facit licitum quod aliàs foret illicitum) deferatur. Móxque cruce præcedente ut ante, alijs binis & binis insequentibus, ultimò ante sacerdotem vadant Clerici cum thuribulo & aqua benedicta; Feretrum

Digitized by Google

trum verò sacerdotem sequatur,& quamprimùm incipit Processio, statim Sacerdos intonet voce lugubri Antiph: *Exultabunt Domino ossa humiliata.* Postmodum alternatim graviter tardè & devotè cantent Psalmum *Miserere* & si hic non sufficeret, subnectatur Psalmus *Ad Dominum cùm tribularer* aliíque Psalmi graduales, & in fine cujusque dicatur: *Requiem æternam.* Ad ingressum Ecclesiæ repetatur Antiph: *Exultabunt Domino ossa humiliata,* omnibus Ecclesiam ingressis cantetur. *Responsorium* Superiore incipiente, & choro alternatim prosequente.

Subvenite sancti Dei * occurrite Angeli Domini * suscipientes animam ejus * offerentes eam in conspectu Altissimi. Suscipiat te Christus qui vocavit te * & in sinum Abrahæ Angeli deducant te * suscipientes animam ejus * offerrentes eam in conspectu Altissimi.

Requiem æternam Dona ei Domine * & lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conspectu Altissimi.

DEposito feretro in medio Ecclesiæ ità ut defuncti pedes, si fuit Laicus vel Clericus sint versùs Altare majus; Si verò Sacerdos, caput sit versùs Altare, & tum cesset campanæ pulsus. Quatuor candelabra cum cereis accensis unum ad caput, alterum ad pedes & duo ad latus statuantur, & ex Superioris mandato aliquis laicorum corpori defuncti assistat, donec sepeliatur. Processio verò se ad Chorum conferat, & Superiore exuto, & sex candelis communis ceræ in majorî Altari accensis, inchoëtur à Superiore officium Defunctorum, quod persolvatur cum tribus nocturnis, & laudibus: vel si jam pridie vesperi esset persolutum, saltèm persolvatur unus Nocturnus cum laudibus, sub quibus Superior se paret pro dicenda Missa solemni: loco cùjus Vicarius aut senior post Antiph: *Ego sum &c.* dicat preces & orationem. *Absolve quæsumus Domine* &c. in qua addatur nomen defuncti & si

est

Digitized by Google

eſt Provincialis aut Guardianus, addatur ſemper nomini *Patris noſtri*, ſi alius, *Fratris noſtri*, quod & in alijs orationibus obſervetur.

Sub laudibus tria pulſentur ſigna ut mos eſt pro ſolemni ſacro, Superior indutus cum Clerico in ſuperpelliceo ad Altare, accedit, & pro defuncto ſacrum celebrat ſolemne cum incenſo, in quo tam ſacerdos, quàm Miniſter, eosdem abſervant ritus, qui infra in die Commemorationis omnium Fidelium recenſentur, & decens erit, ut ſub ſacro ſolemni, in reliquis Altaribus privata ſacra pro defuncto legantur: quæ tamen finem habeant, ante finem Miſſæ ſolemnis, ut ſepulturæ abſolutioni poſſint intereſſe. Miſſa verò dicitur ſicut in die obitûs: ubi verò temporis ratio decantationem officij mortuorum non admitteret, ſtatim celebretur ſacrum ſolemne; quô finitò ſacerdos deponat Caſulam & manipulum, in cornu Epiſtolæ & fiat Proceſſio ad feretrum, præcedat Crux inter medios ceroferarios, ſequantur Fratres cum candelis accenſis. Venerabile tranſeundo faciant genicularem reverentiam, ultimò ſacerdos cum Rituali, præeuntibus duobus Clericis Thuriferario, & aquæ benedictæ latore.

Cùm ad corpus defuncti perventum fuerit, Cruciferarius, medius inter ceroferarios ſe ſtatuat ad caput defuncti, ſi non ſit Sacerdos; ſi verò ſacerdos ad pedes ipſius; reliqui fratres ſtent in circuitu feretri. Juniores prope crucem ſeniores prope ſacerdotem, hic verò eum ſibi locum occupet, qui ſit ad pedes defuncti, ſi eſt Clericus vel Laicus; & crucem ex adverſo reſpiciat, ità tamen, ut ſe aliquantùm inflectat dorſoversùs cornu Epiſtolæ, nè terga vertat Sacramento, vel ad caput ſi eſt Sacerdos: poſt quem ſtabunt â ſiniſtris duo clerici cum thuribulo, & aqua benedicta, & tum abſolutè ſinè oremus incipiat Sacerdos orationem.

Non intres in judicium cum ſervo tuo Fratre noſtro Domine; quia nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium

Digitized by Google

omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum tua judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed gratiâ tuâ illi succurrente mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo Sanctæ Trinitatis. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum Amen.

Deinde incipit Responsorium, quod alternatim chorus prosequatur.

Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda* quando cœli movendi sunt & terra* dum veneris judicare sæculum per ignem. *Vers:* Tremens factus sum ego & timeo* dum discussio venerit atque ventura ira* quando cœli movendi sunt & terra* Dum veneris judicare sæculum per ignem. *Vers:* Dies illa, dies iræ calamitatis & miseriæ* dies magna & amara valde* Dum veneris judicare sæculum per ignem. *Vers:* Requiem æternam Dona ei Domine* & lux perpetua luceat ei. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda* Quando cœli movendi sunt & terra* dum veneris judicare sæculum per ignem. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Deinde Sacerdos altâ voce dicit Pater noster, *quod secretò dicitur ab omnibus, & ipse, interim primo Acolytho ministrante incensum, illud benedicens ponit in Thuribulum, mox accipit à secundo Acolytho aspersorium aqua benedicta sinè osculo manus, & facta Sacramento reverentiâ à dextro latere incipiens & circumiens Feretrum aspergat corpus defuncti, dicens:* Rore cœlesti reficiat animam tuam Deus, in nomine Patris, & Filij & Spiritûs Sancti. Amen.

Cùm ante Crucem Cruciferarij transiverit, ante illam profundè se inclinet, completo circulo, altero Acolytho thuribulum ministrante, se-

Digitized by Google

cundò circumeat feretrum, & corpus incenſet eodem ritu ut ante, dicens Odore cœleſti paſcat animam tuam Deus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. *ità Lohner in Compend: Rit: c. 8. Ubi ad priſtinum locum redierit, altâ voce dicat:*

Verſ: Et nè nos inducas in tentationē *Reſp:* Sed libera &c.
Verſ: A porta inferi *Reſp:* Erue Domine animam ejus.
Verſ: Requieſcat in pace *Reſp:* Amen.
Verſ: Domine Exaudi &c: *Reſp:* Et clamor &c:
Verſ. Dominus vobiſcum *Reſp:* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, te ſupplices exoramus, pro anima Famuli tui N. Fratris noſtri, quam hodie de hoc ſæculo migrare juſſiſti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviſcaris in finem, ſed jubeas eam à ſanctis Angelis ſuſcipi, & ad Patriam Paradiſi perduci, ut quia in te ſperavit, & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat, ſed gaudia æterna poſſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Dictâ oratione deferatur defunctus ad ſepulchrum, quod dum fit, omnes ſimul cantant Antiph:

In Paradiſum deducant te Angeli: * in tuo adventu ſuſcipiant te Martyres, * & perducant te in Civitatem ſanctam Ieruſalem: * Chorus Angelorum te ſuſcipiat, * & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Deinde Sacerdos intonet Antiph:

Ego ſum reſurrectio & vita * (*quam Chorus totam proſequitur*) Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet, *

&

Digitized by Google

& omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.

Posteà à Choro alternatim dicatur Canticum Benedictus

Quo finito repetitur Antiph: & additur:

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster.

Sub quo iterum corpus aspergitur:

Vers: Et nè nos inducas in tentat: *Resp:* Sed libera &c.
Vers: A porta inferi *Resp:* Erue Domine animam ejus.
Vers: Requiescat in pace. *Resp:* Am: *Vers:* Domine exaud:
Vers: Dominus vobiscum *Resp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Fac quæsumus Domine hanc cum servo tuo Defuncto N. Fratre nostro misericordiam ut factorum suorum in pœnis, non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: ut sicut hic eum vera fides junxit Fidelium turmis, ità illic eum tua miseratio societ Angelicis Choris. Per Christum &c. *Vers:* Requiem æternã dona ei Domine. *Resp:* Et lux perpetua &c. Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Post hoc corpus in Cryptam dimittitur, & tumulatur. Demum fratres â sepultura revertentes, dicant Antiph: si iniquitates. *Cum Psalm:* De profundis.

Quod si ob magnam diei solemnitatem, aut aliquam urgentem necessitatem manè cum sacro solemni Frater Defunctus non queat sepeliri, sed sepultura fiat â prandio, tempore hyemali opportunum est post Vesperas, æstivo verò, post Completorium: & tum excepto sacro, fiunt omnia ut supra: repositio enim in Eccle-

Digitized by Google

sia feretro, dicitur in Choro officium Defunctorum: quod â quibusdam Superioribus in Ecclesia persolvi consvevit, quô persoluto ordinatur Processio ad Corpus defuncti. Superiore induto superpelliceo & stolâ nigrâ,& peraguntur reliqua Superius ordinata.

Contingit etiam, quod aliqui sæculares ex indulto A R P: Generalis in nostra Ecclesia sepeliantur: quo casu serventur nostræ Constitutiones, nec adeant Fratres ullo modo domum defuncti processionaliter, aut se muneri Parochiali immiscеant, in curando corpore ad nostram Ecclesiam deferri, sed id totum Parocho relinquant. Qui, ubi cum defuncti corpore ad Ecclesiam nostram pervenerit, Superior stolâ nigrâ & superpelliceo indutus, Cruciferario cum cruce, ac duobus Acolythis cum thuribulo & aqua benedicta, sibi assistentibus, cæterisque Fratribus in ordine processionaliter dispositis, corpus defuncti in ipsis Ecclesiæ foribus depositum recipiant, quod statim Fratres Laici in humeris sublatum intra Ecclesiam deferant, ac in medio Ecclesiæ collocent, ac ea omnia mutatis mutandis, circa defunctum absolvant, quæ circa Fratres peragi solent.

Si aliquis Fratrum, uti tempore pestis fieri solet, non in Crypta Fratrum, sed in horto sepeliendus est, nunquam sepeliatur(quantum possibile est) sine cruce, lumine, aqua benedicta, & incenso. Et si extra Cæmeterium sepeliretur, tunc sepulchrum prius hoc modo benedicatur.

BENEDICTIO SEPULCHRI.

Vers: Adiutorium nostrum in nomine Domini.
Resp: Qui fecit cælum & terram.
Vers: Domine exaudi &c. Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, hunc tumulum bene✠dicere dignare: eique Angelum sanctum

Digitized by Google

ctum deputa Cuſtodem, Et quorum corpora hic ſepeliuntur, animas eorum ab omnibus abſolve vinculis delictorum: ut in te ſemper cum ſanctis tuis ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, *Reſp*: Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ & incenſetur.

CAPUT XLV.

De Anniverſario defunctorum Fratrum, & Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

SAncta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut â peccatis ſolvantur. *c. 2. Mach: 12.* Idcircò Seraphica noſtra Religio, poſt Feſtum S. P. Franciſci, proximâ die non impeditâ, celebrat Anniverſarium pro defunctis Fratribus. Et quotannis ſtatim poſt feſtum omnium ſanctorum â ſancta Matre Eccleſia recolitur commemoratio omnium fidelium defunctorum: quod pietatis penſum, ut â nobis debito cum ritu perſolvatur, hic de utróque agetur, quia pauculis exceptis, per omnia conveniunt.

Altaria ante Veſperas nigro colore veſtiantur, ſic tamen, ut nigro ſuper induatur albus aut officio conveniens: attamen levi tractu dimovibilis: reliqua omnia ornamenta removeantur, præter crucem & candelabra cum candelis ex cera communi. In medio Eccleſiæ erigatur lectica, nigro intecta panno, ſignato albâ cruce; quam quatuor candelabra cum candelis ex cera communi circumdent: duo ad latera, unum ad caput, alterum ad pedes. Supra lecticam ſtet Crucifixus cum cranio mortuali, innixo duabus tibijs; quæ potius ſint opere ſculptorio confectæ: & duo parvula candelabra cum candelis; unum ad caput, alterum ad pedes. In Capella ſupra lapidem Cryptæ, ſi ibi ſit: ſecus in medio pavimenti, etiam niger pannus ſternatur cum alba cruce, & ſuper illo, unum vel duo candelabra cum flavis candelis: & ſi plures ſint Capellæ cum ſepulturis, idem ibi fiat. Paretur quóque crux proceſſionalis,

Digitized by Google

lis, thuribulum cum navicula vaſculum aquæ benedictæ cum aſpergillo, candelæ de cera communi ſufficientes pro Fratrum proceſſione.

II. Anniverſarium pro Fratribus in noſtra Provincia regulariter celebratur, ſeptimâ octobris, eodem ritu, quo Commemoratio omnium fidelium Defunctorum, oratione exceptâ. Unde pridie poſt Veſperas feſti, dicantur Veſperæ defunctorum, ad quas Sacriſtanus vel alius, tria pulſet ſigna. Primum ad ſecundum pſalmum; Alterum, ad quartum pſalmum, Tertium ad Magnificat, finiendo cum tribus ictibus. Ad initium Magnificat, Sacriſtanus cum uno, aut altero Laico, ad hoc deſignato, vadit extra ad Altaria, deponit colorem album, & accendit candelas in omnibus Altaribus, Capellis, & ad Lecticam mortuorum. Poſt Veſperas Feſti integrè abſolutas cum *ſalve Regina* (quia hoc officium, non habet dependentiam cum Divino officio ſicut in Feſto Om: SS.) Superior, quem hoc Officium peragere decet, incipit voce paulò humiliore, integram ſub ritu duplici cantare Antiphonam: *Placebo Domino in regione vivorum.* Quam ad finem Pſalmi primus Acolythus repetat: omnes Pſalmi ſine Gloria, cum, *Requiem æternam* finiuntur. Ad Magnificat canitur Antiphona ab utroque Acolytho, eáque ad finem repetitâ: Superior omiſſo Pſalmo, ſtatim clarè dicit: *Pater noſter*: Quod dum fratres inclinati ſecretò perſolvunt, ſubdit: *Et nè nos inducas &c. A porta inferi: &c.* prout in Breviario: Oratio verò in Comemoratione omniũ fidelium defunctorum: *Fidelium Deus omnium Conditor*: & claditur: *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate.* In Anniverſario Defunctorum Fratrum verò: *Deus indulgentiarum Domine da animabus famulorum tuorum Fratrum noſtrorum, quorum Anniverſarium depoſitionis diem commemoramus &c.* quod diverſarum Provinciarum directoria innuunt.

III. Poſt completorium dicitur officium Defunctorum, trium Nocturnorum cum laudibus: ad quod iterum dantur tria ſigna. Pri-

Digitized by Google

Primum ad Pſalmum: *Qui habitat.* Secundum, poſt tres ictus ad *Nunc dimittis.* Tertium ad finem Litaniarum: quo tempore iterum accenduntur candelæ, ſicut ad Veſperas. Omnibus igitur finitis, datur â Superiore ſignum comploſione manûs, quo audito finitur pulſus trino ictu, omnésque Fratres ſua loca repetunt, Superior incipit: *Regem cui omnia vivunt, venite adoremus.* Quod Chorus repetit: proſequuntur deinde Acolythi Invitatorium, & Antiphonas cantant ſub ritu duplici, omniáque peraguntur ſicut in Breviario aſſignatur. Oratio verò ſicut in Veſperis. Officio finito extinguuntur candelæ: poſt pulſum *Ave Maria* verò, pulſantur tria prolixa ſigna.

IV. Sequenti die (exceptâ Miſsâ Conventuali poſt Tertiam, quæ legitur de feſto juxta intentionē Religionis videl: pro Fratribus & Benefactoribus vivis & defunctis) omnia reliqua ſacra leguntur nigro colore pro Fratribus Defunctis, accipientes eandem Miſſam, quæ dicitur, in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum. Quâ die aliqui putant poſſe ſacrum dici, pro aliqua, vel aliquibus animabus determinatis. v. g. Parentis, Matris, Amicorum &c. Verum S. R. Congreg: ordinavit, hâc die debere dici ſacrum pro omnibus fidelibus defunctis, juxta intentionem Eccleſiæ. *Lohner p. 4. tit: 3. n. 12.*

V. Horâ Nonâ pulſatur ad ſextam & Nonam. Ad Pſalm: *Iniquos odio habui.* pulſatur primum ſignum pro Miſſa ſolemni: alterum ad initium Nonæ cum viginti ictibus. Ad Pſalm-*Clamavi in toto corde*: dantur viginti ictus. Quo tempore accenduntur candelæ ut herì: adferuntur â Culinario carbones pro incenſo: Superior vel alius Sacerdos in Sacriſtia mundioribus paramentis nigris, ſeparato loco collocatis, induitur, quorum oſcula non intermittit. Acolythus verò primus, ſub ultimo pſalmo Nonæ ſuperpelliceo indutus, poſt Orationem Sacriſtiam ingreditur. Demum ad Altare egreſſis, incipit ſolemne ſacrum, quod æquè fit in Anniverſario, ſicut in die Commemorationis, exceptâ Oratione ut ſupra:

Digitized by Google

ſupra : omiſſis ijs omnibus, quæ Rubricæ Miſſalis jubent omitti. Ad Introitum non incenſatur Altare, nec poſtea Evangelium; benè tamen oblata & Altare, benedicto priùs incenſo : *Per interceſſionem* : incenſatur ad Offertorium, omiſſis illis tractibus, qui aliàs fiunt verſus Reliquias; ipſe tamen ad finem incenſatur. Miniſter nec ampullas, nec manum Sacerdotis, nec aliquid aliud horum, quæ Sacerdoti miniſtrantur, oſculari debet. Ad Elevationem Miniſter de more Venerabile incenſat, fit poſtea Communio omnium Fratrum; Officiales tamen impediti, poſſunt citius communicare.

VI. Poſt Communionem, diſtribuuntur in Choro candelæ accenſæ Fratribus : ſub Evangelio exit Cruciferarius cum Cruce; duo Juniores Laici ab altari accipiunt extrema ab utráque cornu candelabra cum cereis accenſis, inter quæ medius vadit Cruciferarius, ſequuntur deinde Fratres, primo Juniores, deinde ſeniores, per utrámque portam exeuntes; qui omnes intra Raſtellum, vel etiam extra, ſi ſpatij anguſtia non permittit, locum capiunt; facie tamen verſa ad Altare, donec Superior ſeu Sacerdos inchoët Proceſſionem : qui finitâ Miſsâ Caſulam & Manipulum deponit in cornu Epiſtolæ, accipit Rituale prius â Sacriſtano allatum; & factâ in medio cruci reverentiâ deſcendit, & in medio gradu genuflectens, ſurgit, & ad populum converſus incipit humili, & lugubri voce Pſalmum. *Miſerere.*

VII. Progreditur deinde Proceſſio, præcedit Thuriferarius cum Navicula & thuribulo à dextris, & ſecundus Acolythus cum vaſculo aquæbenedictæ â ſiniſtris, ſequitur Cruciferarius medius inter duos Ceroferarios : ſequuntur deinde bini & bini, dextri in dextra, ſiniſtri in ſiniſtra candelas geſtantes, & in dicendo pſalmo, & Reſponſorijs alternum Chorum facientes; ultimò Sacerdos. Cum perventum fuerit ad Lecticam, ex parte Epiſtolæ ſupra caput Lecticæ Thuriferarius & deferens aquam benedictam manent ſtantes, prope locum quem Celebrans capiet. Cruciferarius ve-

rò

Digitized by Google

rò cum Ceroferarijs, ex latere Evangelij penes Lecticam tranſit, & infra Lecticam ad pedes ſe ſiſtit; eâ tamen diſtantiâ, ut inſequentes locum capere poſſint, facie & Cruce ad Altare converſus, medius inter duos Ceroferarios: Fratres verò ſequentes, dextri in dextro, ſiniſtri in ſiniſtro penes Lecticam latere tranſeunt, & Juniores propè crucem, ſeniores prope Celebrantem ſe ſtatuunt, facie ad invicem converſi, mediam habentes Lecticam, & libellum cum Reſponſorijs manu alterâ geſtantes. Sacerdos verò inter Altare, & caput Lecticæ locum capit ſupra Miniſtros facie quidem ad crucem, quam Cruciferarius tenet, converſus, ità tamen nè directè tergum vertat Sacramento, ſed illud aliquantùm declinet verſus cornu Epiſtolæ.

Finito alternatim à bipartito Choro Miſerere *ſtatim Sacerdos inchoat Reſponſorium.*

Libera me Domine (*quod primus Chorus proſequatur*) de morte æterna in die illa tremenda * Quando cæli movendi ſunt & terra * Dum veneris judicare ſæculum per gnem. *Secundus chorus*, Tremens factus ſum ego & timeo * Dum diſcuſſio vanerit átque ventura ira. *Primus Chorus*. Quando cæli movendi ſunt & terra * Dum veneris judicare ſæculum per ignem. *Secundus Chorus*. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miſeriæ * dies magna & amara valde. *Primus Chorus*. Dum veneris judicare * ſæculum per ignem. *Secundus Chorus*. Requiem æternam dona eis Domine, * & lux perpetua luceat eis. *Primus Chorus*. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda * quando cæli movendi ſunt & terra * dum veneris judicare ſæculum per ignem.

Digitized by Google

Finito Reſponſorio, ſtatim Sacerdos ſubjungit. Kyrie eleyſon, *cui reſpondent omnes ſimul* Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

Deinde Sacerdos clarâ & morosâ voce dicit *Pater noſter.* quod omnes inclinati ſecretò dicant.

Interea primus Acolythus cum capitis inclinatione, & ſinè manuum oſculo Sacerdoti Naviculam porrigit, ex quâ immittit thus in thuribulum, & more ſolito benedicit (*ab illo benedicaris &c.*) Alter verò Acolythus adminiſtrat aſpergillum cum aqua benedicta, quod Sacerdos accipit ſinè oſculis, & factâ priùs in medio Altari geniculari reverentiâ, ex parte Epiſtolæ deſcendit, & aſpergit Lecticam trinâ vice: poſtea ad pedes Lecticæ, factâ cruci, quam tenet Cruciferarius, profundâ capitis & humerorum inclinatione, ex parte Evangelij aſcendens, item trinâ vice Lecticam aſpergit, & factâ iterum in medio ſimili reverentiâ, reddit aſpergillum ſine oſculis. Eodem modo accepto thuribulo, terno ductu ſicut aſperſit, thurificat, redditque thuribulum. Demum in priſtino loco, clarè eodem tono, ſicut dixit *Pater noſter.* ſubdit.

Verſ: Et nè nos inducas intent: *Reſp:* Sed libera nos ā malo. *Verſ:* A porta inferi. *Reſp:* Erue Domine Animas eorum. *Verſ:* Requieſcant in pace. *Reſp:* Amen. *Verſ:* Domine exaudi &c. *Verſ:* Dominus vobiſcū. *Reſp:* Et cum ſpiritu.

Oremus.

In Anniverſario Fratrum dicitur ſequens Oratio.

Deus Indulgentiarum Domine, da animabus famulorum tuorum Fratrum noſtrorum, quorum Anniverſarium depoſitionis diem commemoramus, refrigerij ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum noſtrum Jeſum &c.

In

Digitized by Google

In die Animarum verò dicitur sequens.

Fidelium Deus omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum famularúmque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam quam semper optaverunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp*: Amen.

Deinde dit: Requiem æternam dona eis Domine *sine* Requiescant in pace. *quod non dicitur nisi in fine ultimæ absolutionis ante Majus altare. Ita Circulus Aureus pag: 124.*

ABSOLUTIO II.

Ad Tumulum Fratrum in Sacello.

Finitâ primâ Absolutione, Processio eodem ritu, & ordine vadit ad Capellam, in quâ est sepultura Fratrum mortuorum, Psalmo De profundis *à Celebrante prius inchoato. Cruciferarius & Ceroferarij occupant locum prope Altare ex parte Evangelij, reliqui Fratres latera replent; Celebrans verò cum Ministris medium, ad latus tamen Epistolæ. Finito Psalmo cum Requiem æternam. Subjungitur alternatim Responsorium.*

Ne recorderis peccata mea Domine * dum veneris judicare sæculum per ignem. *Secundus Chorus,* Dirige Domine Deus meus * in conspectu tuo viam meam. *Primus Chorus.* Dum veneris judicare * sæculum per ignem. *Secundus Chorus.* Requiem æternam dona eis Domine * & lux perpetua luceat eis. *Primus Chorus* Dum veneris judicare * sæculum per ignem. Kyrie eleyson &c. *Reliqua ut supra in prima Absolutione.*

Digitized by Google

Oratio.

Deus veniæ largitor & humanæ ſalutis amator, quæſumus Clementiam tuam; ut noſtræ Congregationis Fratres, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus ſanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp:* Amen.
Verſ: Requiem æternam dona eis Domine.
Reſp: Et lux perpetua luceat eis.

Si extra Eccleſiam exſtent alia ſepultura loca Fratrum, ſeu ſecularium peſte mortuorum, vadat Proceſſio ad illa; quia in die Animarum nulla privata ſepultura inviſitata relinquenda eſt.

ABSOLUTIO III.

Ad primum locum Sepulturæ Fratrum extra Eccleſiam.

Si locus ſepulturæ aliquantùm diſtet dicatur inter eundum Pſalm: *Miſerere.* ſi ſit propinquus *Ad Dominum cum tribularer.* quo finito cum *Requiem æternam* ſubjungitur Reſponſorium.

Domine quando veneris judicare terram, * ubi me abſcondam à vultu iræ tuæ; * Quia peccavi nimis in vita mea. *Secundus Chorus.* Commiſſa mea paveſco, & ante te erubeſco: * dum veneris judicare, noli me condemnare. *Primus Chorus.* Quia peccavi nimis * in vita mea. *Secundus Chorus.* Requiem æternam dona eis Domine. * Et lux perpetua luceat eis. *Primus Chorus.* Quia peccavi nimis * in vita mea. Kyrie eleyſon &c. *Reliqua ut ſupra in prima Abſolutione.*

Ora-

Digitized by Google

Oratio.

Deus cui ſoli competit medicinam præſtare poſt mortem, præſta quæſumus; ut animæ famulorum tuorum, Fratrum noſtrorum, hìc quieſcentium, terrenis exutæ contagijs, in tuæ redemptionis parte numerentur. Qui vivis & regnas &c.

Verſ. Requiem æternam dona eis Domine,

Reſp. Et lux perpetua luceat eis.

ABSOLUTIO IV.

Ad ſecundum locum Sepulturæ Fratrum extra Eccleſiam.

Pſalmus Levavi oculos meos *Reſponſ.*

Credo quod Redemptor meus vivit, * & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum. * Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. *Secundus Chorus.* Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, * & oculi mei conſpecturi ſunt. *Primus Chorus.* Et in carne mea * videbo Deum Salvatorem meum. *Secundus Chorus.* Requiem æternam dona eis Domine, * Et lux perpetua luceat eis. *Primus Chorus.* Et in carne mea * videbo Deum Salvatorẽ meum. Kyrie eleyſon &c. *Reliqua ut ſupra in prima Abſolutione.*

Oratio.

Deus Fidelium lumen animarum, adeſto ſupplicationibus noſtris: & da famulis tuis Fratribus noſtris, quorum corpora hìc in Chriſto requieſcunt, refrigerij ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per eundem Chri-

Digitized by Google

Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp*: Amen.
Verſ: Requiem æternam dona eis Domine.
Reſp: Et lux perpetua luceat eis.

ABSOLUTIO V.

Ad Tertium locum Sepulturæ Fratrum extra Eccleſiam.

Pſalm: Ad te levavi oculos meos *Reſponſ*:

Hei mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea: * Quid faciã miſer? ubi fugiam, niſi ad te Deus meus.* Miſerere mei, dum veneris in noviſſimo die. *Secundus Chorus*. Anima mea turbata eſt valde * ſed tu Domine ſuccurre ei *Primus Chorus*. Miſerere mei:* dum veneris in noviſſimo die. *Secundus Chorus*. Requiem æternam dona eis Domine,* Et lux perpetua luceat eis. *Primus Chorus*. Miſerere mei:* dum veneris in noviſſimo die. Kyrie eleyſon &c. *Reliqua ut ſupra in prima Abſolutione*.

Oratio.

Deus cui proprium eſt, miſereri ſemper & parcere; propitiare animabus famulorum tuorum Fratrum noſtrorum hìc quieſcentium: & omnia eorum peccata dimitte; ut mortalitatis vinculis abſolutæ tranſire mereantur ad vitam. Per Chriſtum &c.
Verſ: Requiem æternam &c. *Reſp*: Et lux &c.

ABSOLUTIO VI.

Ad locum ſepulturæ Secularium extra vel intra Eccleſiam.

Pſalm: Qui confidunt in Domino *Reſponſ*:

Qui

Digitized by Google

Qui Lazarum resuscitasti à monumento fœtidum * Tu eis Domine dona requiem, & locum indulgentiæ. *Secundus Chorus.* Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, * & sæculum per ignem. *Primus Chorus.* Tu eis Domine dona requiem, * & locum indulgentiæ. *Secundus Chorus.* Requiem æternam dona eis Domine, * Et lux perpetua luceat eis. *Primus Chorus.* Tu eis Domine dona requiem, * & locum indulgentiæ. Kyrie eleyson &c: *Reliqua ut supra in prima Absolutione.*

Oratio.

Deus cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis, hìc in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eundem Christum Dominum &c.

Vers: Requiem æternam &c. *Resp:* Et lux &c.

Quod si adhuc plura loca fuerint, desumantur Responsoria ex Circulo aureo pag: 124. vel Officio defunctorum: Orationes verò illæ seligantur quæ conditioni & sexui ibi sepultorum conveniant.

Locis omnibus visitatis, & ritibus ut supra persolutis; Processio resumendo Psalm: Miserere *vel* de profundis *juxta distantiam loci eodem ordine redit ad majus Altare, & coram panno nigro in medio pavimenti expanso, & duobus candelabris cum cereis ardentibus, repetitur Responsorium* Libera me: *ut in prima Absolutione: Oratio verò sit Generalis pro omnibus Fidelibus defunctis, nisi jam (ut in Commemoratione omnium fidelium defunctorum) dicta sit, tunc dicatur sequens.*

Oratio.

Absolve quæsumus Domine, animas famulorum tuorum

Digitized by Google

rum Fratrum noſtrorum, & omnium fidelium defunctorum, ab omni vinculo delictorum; ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp*: Amen.

Verſ: Requiem æternam &c. *Reſp*: Et lux &c.

Verſ: Requieſcant in Pace. *Reſp*: Amen.

Si verò nullus locus ſepultura foret extra Eccleſiam; tunc finitâ ſecundâ abſolutione in ſacello, revertitur Proceſſio ad majus Altare dicendo Pſalm: Ad Dominum cum tribularer. *Reliqua omnia fiunt, quæ modò recenſitâ ſunt: præter* Reſponſorium, *loco cujus dicitur:* Domine quando veneris : *ut in tertia abſolutione.*

His omnibus abſolutis, omnes in ordine, & proceſſionaliter ad Chorum redeant; Sacerdos verò cum Miniſtris ad Sacriſtiam:

Nota, quòd toto tempore Abſolutionis campana pulſari debeat: & ſi ſub illo tempore fiat elevatio in aliqua Miſſa, neque Sacerdos, qui facit officium, neque Miniſtri flectant, ſed in ſua abſolutione pergant ut ait Gavantus p. 2. tit. 13. lit: O.

CAPUT XLVI.

De Ritu benedicendi res Sacras.

Cùm juxta graviſſimorum Doctorum ſententiam, & quotidianam praxim, univerſa, quæ Altaris miniſterio deſerviunt, ſive vaſa ſacra, ſive indumenta Sacerdotalia, ſive Altaris ornamenta, propter miniſterij excellentiam, & ſacrum ipſorum uſum benedicenda ſint; noſtrique Superiores, vi Privilegij Leonis X. aliorumque Pontificum omnes res ſacras, in quibus non intervenit S. Chriſma, benedicere valeant, idque non ſolùm ad uſum ſuorum Monaſteriorum, ſed etiam Exterorum, uti apud Sorbo, & Bonagratiam *V. Benedicere* videre eſt. Placuit proinde pro complemento primæ partis hujus Ritualis hùc aliquas benedictiones apponere, tum ex Miſſali, tum ex Pontificali & Rituali Rom: tum ex alijs approbatis Auctoribus. Ri-

Digitized by Google

Ritus autem, qui in hujusmodi rebus benedicendis obſervari debet, eſt ſequens : Guardianus ſeu Superior, ſi Sacerdotalibus veſtimentis eſt indutus, deponat Caſulam & Manipulum, ſin minùs Superpelliceum cum ſtola induat : aſſiſtat Acolythus vel alius Frater cum aqua benedicta & Aſpergillo, ipſe autem accipiens Miſſale vel hoc Rituale benedictionem ità inchoët.

Benedictio Sacerdotalium indumentorum in genere.

ex Miſſ. & Pontif. Rom.

Verſ. Adjutorium noſtrum &c. *Reſp.* Qui fecit &c.

Verſ. Dominus vobiſcum *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Moyſen famulum tuum, Pontificalia & Sacerdotalia, ſeu Levitica veſtimenta ad explendum in conſpectu tuo miniſterium eorum, ad honorem & decorem nominis tui fieri decreviſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & hæc indumenta Sacerdotalia (*vel* hoc indumentum Saeerdotale) deſuper irrigante gratiâ tuâ ingenti benedictione per noſtræ humilitatis ſervitium puri✠ficare, bene✠dicere, & conſe✠crare digneris: ut divinis cultibus & ſacris myſterijs apta & benedicta exiſtant; (*vel* aptum & Benedictum exiſtat,) his quoque ſacris veſtibus (*vel* hâc quoque ſacrâ veſte) Pontifices & Sacerdotes, ſeu Levitæ tui induti ab omnibus impulſionibus ſeu tentationibus malignorum Spirituum muniti & defenſi eſſe mereantur, tuíſque myſterijs aptè & condignè ſervire & inhærere, atque in his tibi placitè & devotè perſeverare tribue. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Digitized by Google

Oremus.

Deus invictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator ac sanctificator; intende preces nostras, & hæc indumenta (*vel* hoc indumentum) Leviticæ, Sacerdotalis, & Pontificalis Gloriæ ministris tuis fruenda (*vel* fruendum) tuo ore proprio bene✠dicere, Sancti✠ficare, & conse✠crare digneris, omnésque eis (*vel* eo) utentes tuis mysterijs aptos & tibi in eis (*vel* in eo) devotè & laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit &c.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, & Levitis, in usum tabernaculi fœderis necessaria, Moysen famulum tuum agere jussisti, eúmque Spiritu Sapientiæ ad id peragendum repleviſti, hæc vestimenta (*vel* hoc vestimentum) in usum & cultum mysterij tui bene✠dicere, sancti✠ficare, & conse✠crare digneris: atque ministros Altaris tui, qui ea (*vel* illud induerint, septiformis Spiritûs gratiâ dignanter repleri, atque castitatis stolâ, beatâ facias cum bonorum fructu operum ministerij congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. *Resp:* Amen.

Deinde aspergantur aquâ benedictâ

Benedictio cujuslibet indumenti in specie

Ex Pontif: Romano & Rituali. Pragens.

Vers: Adjutorium nostrum &c. *Resp:* Qui fecit &c.

Vers:

Digitized by Google

Verſ: Dominus vobiſcum *Reſp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus omnipotens, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, ſupplices te rogamus, ut manibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, & hunc Amictum, *vel* Albam, *vel* Cingulum, *vel* Manipulum, *vel* ſtolam, *vel* Caſulam divino cultui præparatam virtute Sancti Spiritûs bene✠dicere, Sancti✠ficare, & conſe✠crare digneris, & omnibus eo, *vel* ea, *vel* eis utentibus gratiam ſanctificationis ſacri myſterij tui benignus concede; ut in conſpectu tuo ſancti & immaculati atque irreprehenſibiles appareant, & auxilium miſericordiæ tuæ acquirant. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Spiritûs Sancti, Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp:* Amen. *Deinde aſpergantur aquâ benedictâ.*

Benedictio Mapparum & Tobalearum ſive Linteaminum Altaris ex Miſſ: & Pontif: Rom:

Verſ: Adjutorium noſtrum &c. *Reſp:* Qui fecit &c.
Verſ: Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus

Exaudi Domine preces noſtras, & hæc linteamina ſacri Altaris uſui præparata bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp:* Amen.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui Moyſen famulum tu-

Digitized by Google

um ornamenta & linteamina facere, per quadraginta dies docuisti, quæ etiam Maria texuit, & fecit in usum ministerij tabernaculi fœderis, bene✠dicere: sancti✠ficare, & conse✠crare digneris hæc linteamina ad tegendum involvendúmque Altare glorioſiſſimi filij tui Domini noſtri Jesu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp:* Amen.

Deinde aſpergantur aquâ benedictâ.

Benedictio Vaſorum & aliorum Ornamentorum in genere ex Pontif: Rom:

Verſ: Adjutorium noſtrum &c. *Reſp:* Qui fecit &c.
Verſ: Dominus vobiſcum. *Reſp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi Domine Pater clementiſſime, preces noſtras, & hæc purificanda vaſa, & ornamenta, ſacri Altaris atque Eccleſiæ tuæ ſacri miniſterij uſui præparata, bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp:* Amen.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, à quo omnia immunda purgantur, & in quo omnia purgata clareſcunt, ſupplices omnipotentiam tuam invocamus, ut ab his vaſis & ornamentis quæ tibi offerunt famuli tui, omnis Spiritus immundus confuſus longè diſcedat, & per tuam bene✠dictionem ad uſum & miniſterium Sancti Altaris & Eccleſiæ tuæ ſanctificata permaneant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp:* Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ. Bene-

Digitized by Google

Benedictio Corporalium, & Pallarum ex Miſſ: & Pontificali Romano.

Verſ: Adjutorium noſtrum &c. *Reſp:* Qui fecit &c.
Verſ: Dominus vobiſcum. *Reſp:* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Clementiſſime Domine, cujus innenarabilis eſt virtus, cujus myſteria arcanis mirabilibus celebrantur tribue quæſumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis bene✠dictione ſanctificetur, ad conſecrandum ſuper illud corpus & ſangvinem Dei & Domini noſtri Jesu Chriſti Filij tui, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp:* Amen.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, bene✠dicere, ſancti✠ficare, & conſe✠crare digneris linteamen iſtud ad tegendum, involvendúmque corpus & ſangvinem Domini noſtri Jesu Chriſti Filij tui, qui tecum vivit & regnat. *Reſp:* Amen. *Oremus.*

Omnipotens Deus, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde, ut per noſtram bene✠dictionem hoc linteamen ſanctificetur, & corporis ac ſangvinis Redemptoris noſtri, novum ſudarium, Spiritûs Sancti gratiâ efficiatur. Per eundem Dominum noſtrum, Jesum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit &, regnatin unitate Spiritus ſancti &c. *Reſp:* Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ.

Pro

Digitized by Google

Pro benedictione autem Purificatoriorum dicatur:

Vers: Adjutorium &c. *Vers:* Dominus vobiscum &c.

& hac ultima Oratio tantùm, & fiat aspersio.

Benedictio Tabernaculi seu Vasculi pro Sacrosancta Eucharistia conservanda, ex Miss: Pontif: & Rituali Rom:

Vers: Adjutorium nostrum &c. *Resp:* Qui fecit &c.
Vers: Dominus vobiscum *Resp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut vasculum hoc pro corpore Filij tui Domini nostri Jesu Christi in eo condendo fabricatum bene✠dictionis tuæ gratiâ dicare digneris. Per eundem Dominum. *Resp:* Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ

Benedictio novæ Crucis. ex Rituali Rom:

Vers: Adjutorium nostrum &c. *Resp:* Qui fecit &c.
Vers: Dominus vobiscum *Resp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Rogamus te, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut digneris bene✠dicere hoc signum Crucis: ut sit remedium salutare generi humano, sit Soliditas fidei, profectus bonorum operum, & redemptio animarum, sit solamen, protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum *Resp:* Amen.

Oremus.

Benedic Domine hanc Crucem tuam per quam eripui-

sti

Digitized by Google

sti mundum à Dœmonum potestate & superasti passione tuâ suggestorem peccati qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. Bene✠dic etiam Domine & sancti✠fica istud signaculum sacræ passionis tuæ, ut sit inimicis tuis obstaculum, & credentibus perpetuum perfice auxilium. Qui vivis & regnas &c.

Deinde aspergat aquâ benedictâ dicendo:

Sanctificetur hoc signum crucis in nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritûs✠sancti, ut orantes, inclinantésque se propter Dominum ante istam Crucem inveniant corpus & animæ sanitatem, per Christum &c. *Resp.* Amen.

Posteà Sacerdos genuflexus, ante Crucem devotè adorat, & osculatur.

Benedictio Crucis parvæ.

quæ ad collum sive Rosarium appenditur

Vers. Adjutorium &c. *Vers.* Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Omnipotens Deus, qui crucis signum pretioso Filij tui sanguine dedicasti, quíque per eandem crucem Filij tui Domini nostri Jesu Christi mundum redimere voluisti, & per virtutem ejusdem venerabilis crucis humanum genus ab antiqui hostis chirographo liberasti: te suppliciter exoramus, ut digneris hanc crucem paternâ pietate bene✠dicere, cœlestémque ei virtutem & gratiam impertiri; ut quicunque eam in passionis & crucis unigeniti tui signum ad tutelam corporis & animæ super se gestaverit, cœlestis gratiæ plenitudinem in ea, & munimen valeat tuæ benedictionis

Digitized by Google

nis accipere. Siquis verò infirmus aut moribundus eandem in manu ſua tenuerit, aut ſuper pectus ſuum impoſitam habuerit, ad eum non audeant appropinquare hoſtes maligni, nec ei tentationibus ſuis nocere, aut ſpectris ſuis pavorem immittere: Sed virtute hujus crucis benedictæ ab infeſtationibus dœmonum liberatus, Jesu Chriſto Filio tuo, Redemptori ſuo laudes & gratiarum actiones perſolvat. Et quemadmodum virgam Aaron ad rebellium, perfidiam repellendam benedixiſti, ità hoc ſignum crucis tuâ dexterâ bene✠dic, & contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defenſionis impende: ut portantibus illam animæ pariter & corporis proſperitatem conferat ſalutarem, & Spiritualia in eis dona multiplicet. Per eundem Chriſtum &c.

Aſpergens ipſam crucem dicat:

Sanctificetur hoc ſignum crucis in nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus✠Sancti: & benedictio illius ligni in quo membra ſalvatoris noſtri ſuſpenſa ſunt, ſit in iſto ſigno crucis, ut portantes eam propter Deum inveniant corporis & animæ ſanitatem. Per Chriſtum &c.

Benedictio Imaginis Beatæ Mariæ Virginis ex Pontif. Rom.

Verſ. Adjutorium noſtrum &c.
Reſp. Qui fecit &c.

Sub tuum præſidium confugimus Sancta DEI Genitrix

Digitized by Google

trix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta.

Pſalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob,

Glorioſa dicta ſunt de te, civitas DEI.

Memor ero Rahab, & Babylonis, ſcientium me.

Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerint illic.

Nunquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea: & ipſe fundavit eam Altiſſimus?

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum, horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium, habitatio eſt in te.

Gloria Patri &c.

Verſ: Ave Maria gratiâ plena. *Reſp:* Dominus tecum.

Verſ: Dominus vobiſcum *Reſp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui Virginalem aulam Beatæ MARIÆ Virginis, in qua habitare eligere dignatus es: da quæſumus ut ſua nos defenſione munitos, jucundos facias ſuæ intereſſe veneratione. Qui vivis & regnas &c.

O Glorioſa DEI Genitrix ſemper Virgo MARIA, quæ Dominum omnium meruiſti portare, & Regem Angelorum ſola Virgo lactare: noſtri quæſumus pia memorare

Digitized by Google

& pro nobis Christum deprecare: ut tuis sanctis patrocinijs fulti, ad cœlestia regna mereamur pervenire. *Canticum* Magnificat &c.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, clementissimâ cujus dispensatione cuncta creantur ex nihilo; hanc imaginem in honorem pijssimæ genitricis filij tui Domini nostri Jesu Christi venerabiliter adaptatam bene✠dicere, & sancti✠ficare digneris; & præsta, misericordissime Pater, per invocationem nominis tui, atque ejusdem unigeniti Filij tui Domini nostri Jesu Christi, quem pro salute generis humani integritate Virginis Mariæ servatâ incarnari voluisti; quatenus precibus ejusdem sacratissimæ Virginis, quicunque eandem misericordiæ Reginam & gratiosissimam Dominam nostram coram hac effigie suppliciter honorare studuerint, & de instantibus periculis eruantur, & in conspectu divinæ Majestatis tuæ de commissis veniam inpetrent, ac mereantur in præsenti gratiam, quam desiderant, adipisci, & in futuro perpetuâ salvatione cum electis tuis valeant gratulari. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp*: Amen.

Aspergat eam aquâ benedictâ & dicat,

Sanctificetur hæc imago in nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritûs✠Sancti: & Sanctificatio illa, quâ Sanctificavit

Taber-

Digitized by Google

Tabernaculum ſuum Altiſſimus, ſit in imagine iſta: ut venerantes eam propter Deum inveniant corporis & animæ ſanitatem. Per Chriſtum &c.

Benedictio Imaginum ſeu Statuarum Chriſti aut aliorum Sanctorum.

Verſ. Adjutorium noſtrum &c. *Verſ.* Dominus vobis: &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut ſtatuam *ſeu* imaginem in qua glorioſiſſima figura Filij tui Domini noſtri Jesu Chriſti *aut* Sancti *vel* Sanctæ N. depicta *vel* Sculpta eſt, bene✠dicere, & Sancti✠ficare digneris, ut quicunque coram ipſa ad te adorandum vel Sanctum N. invocandum ſe ſe devotè inclinaverint, à cunctis periculis liberentur, & quidquid juſtè petierint, obtinere mereantur. Per Chriſtum &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſanctorum tuorum imagines Sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus ad imitandum incitemur: quæſumus, ut hanc effigiem in memoriam & honorem unigeniti Filij tui D. N. Jesu Chriſti, *ſeu* Beati N. adaptatam bene✠dicere & Sancti✠ficare digneris: & præſta, ut quicunque coram illa Filium tuum vel Beatum N. ſuppliciter honorare ſtuduerint, illius precibus & obtentu à te gratiam in præſenti, & æternam gloriam obtineant in futuro. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Digitized by Google

Benedictio Chartæ contra febres.

Vers: Adjutorium noſtrum &c. *Reſp:* Qui fecit &c.
Vers: Dominus vobiſcum *Reſp:* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere, & ſanctificare digneris benedictione ſuperna hanc Chartam *aut* has Chartas glorioſiſſimo dilecti Filij tui Domini noſtri Jesu Chriſti nomine ſignatam *aut* ſignatas: & concede propitius, ut ſit omnibus, qui eam geſtaverint, ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & univerſas inimicorum viſibilium, & inviſibilium inſidias, ſingulare ſubſidium. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum, qui de cœlo ad nos deſcendens, vitam dedit mundo & ſalutem, & qui ſocrum Simonis à magnis febribus curare, & liberare dignatus eſt: ità placeat tibi, ut omnes, qui in hoc ſanctiſſimo nomine confidunt, pariter ab omni febre curare, liberare, & incolumes reddere digneris. Qui vivis, & regnas per infinita ſæcula ſæculorum. *Reſp:* Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ, dicendo:

Benedictio DEI omnipotentis Patris & Filij & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper hanc *vel* has chartas Sanctiſſimo Nomine Jesu ſignatas & maneat ſemper Amen.

Benedictio Chartæ pro Brevibus compingendis & alijs rebus ſacris involvendis ad fugandum Dæmonem & maleficia.

Verſ:

Digitized by Google

Verſ. Adjutorium noſtrum &c. *Reſp:* Qui fecit &c.

Exorcizo te creatura Chartæ, quæ in uſum humani generis ad referandum etiam magnalia de lege Domini digna viſa es, & per Divinam voluntatem chartæ conjugij à Raphaële inter Tobiam & Saram celebrati, in quo etiam opere Angelico diabolus exſtitit victus, per Dominum Deum univerſi, Patrem, Filium, & ſpiritum ſanctum, qui extendit cœlum ſicut pellem, in qua cœleſtibus ſplendoribus quaſi characteribus ſcribens, cœlos facit ſuam gloriam enarrare, ut bene ✠ dicaris, & ſancti ✠ ficeris ad omne opus diaboli deſtruendum ſive illud præſentiæ ſit, ſive potentiæ, ſive maleficij, ut quicunque te Sacris verbis reſperſam vel Sacram rem concludentem ſuper ſe portaverit ab omni infeſtatione Diabolica liberetur, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp:* Amen. *Verſ:* Domine exaudi &c.

Verſ: Dominus vobiſcum *Reſp:* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine potens in prælio, Deus ultionum, & Pater Patrum noſtrorum, qui per Moyſen & Prophetas antiquorum voluminum ſcriptores etiam tuæ divinæ Bonitatis myſteria divinitùs revelaſti, & per ſanctos Evangeliſtas & Apoſtolos tuos novi Teſtamenti Filij tui paginam ſcribi voluiſti. Quique per Jeremiam Prophetam tuum cadaver Joachim Regis Juda projiciendum ad æſtum per ſolem, & ad gelu per noctem eidem nuntiaſti: quoniam tres pagellas

Digitized by Google

gellas vel quatuor cum Judi legisset in libro à Baruch Filio Neriæ ex ore Jeremiæ scripto, eundem in ignem injecit, atque comburi fecit. Bene✝dicere & sancti✝ficare digneris hanc præsentem Chartam, ut quicunque te vel sacris scriptam, vel sacra concludentem super se portaverit, ità misericordiam tuam gaudeat adfuisse, ut & ipse Sathanas & ab ipso immissæ oppressiones tam maleficiorum, quàm incantationum omnium confundantur conterantur, amoveantur & in infernum projiciantur. Per Christũ Dominum nostrum. *Resp:* Amen.

Conjuro te igitur & bene✝dico te Charta per verba illa tituli triumphalis, salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & per omnia illa verba, quæ dicuntur de Creatore omnium creaturarum, qui potest tribuere, & facere, quòd tantam obtineas virtutem, ut omnia quæ super te scribentur vel scripta sunt, vel res sacræ includentur ad effectum salutis æternæ perducere valeas, & ut omnis fallacia, & virtus Diaboli exeat de te, & intret in te omnis virt, prædicta sinè mora. In nomine Pa✝tris & Filij & Spiritus sancti. Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ.

Benedictio Rosariorum, Coronarum, & Psalteriorum.

Vers: Adjutorium &c. *Vers:* Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Omnipotens & misericors Deus, qui propter nimiam charitatem tuam, quâ dilexisti nos, filium tuum unigenitum

Digitized by Google

tum D. N. Jesum Christum pro redemptione nostra de cælis in terram descendere, & de Beatissimæ Virginis Mariæ utero, Angelo nuntiante, carnem susscipere voluisti, ut nos eriperes de potestate Diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc coronam *vel* hoc Rosarium *vel* Psalterium in honorem & laudem ejusdem genitricis Filij tui ab Ecclesia tua fideli dicatam *vel* dicatum benedi✠cas & sancti✠fices eique tantam infundas virtutem ut quicunque eam portaverit vel recitaverit, aut in domo, vel manibus suis reverenter tenuerit, ab omni hoste, & facturis semper & ubique in hoc sæculo liberetur, & in exitu suo à Beatissima V. Maria, & S. Angelo Custode suo, plenus bonis operibus tibi præsentari mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. *Resp*: Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ.

Benedictio Habitus Fratrum.

Cùm valde indecens sit aliquem Religiosum portare Habitum non benedictum, cùm ipse sit persona Deo consecrata, & non sufficiat, quòd primus Habitus in ejus investitione fuerit benedictus; quia ille non potest suam benedictionem sequentibus Habitibus impertiri. Proindè subjungimus benedictionem, quâ novus Habitus, vel à Superiore, vel à quovis alio Sacerdote tum alienus, tum proprius mutatis mutandis benedicendus.

Benedictio Habitûs.

Vers: Adjutorium nostrum &c. *Resp*: Qui fecit &c.
Vers: Dominus vobiscum *Resp*: Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es: Obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam; ut hoc genus vestimenti, quod Seraphicus P. N. Franciscus ad pœnitentiæ & humilitatis indicium ferre sanxit, ità bene✠dicere & sancti✠ficare digneris, ut famulus tuus, qui hunc sanctæ Religionis nostræ Habitum portaturus est, te intus veraciter induere, & secundum Ordinis nostri institutum piè vivere mereatur. Qui vivis & regnas Deus &c.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos veste misericordiæ in hoc sæculo, & in futuro stolâ gloriæ circumdas & ornas: quæsumus, ut hunc Habitum pro tui nominis, & Seraphici P. N. Francisci honore purifi✠care, & bene✠dicere digneris, quem ego in nomine tuo purifi✠co, & bene✠dico, tuámq; clementiam supplex invoco; ut famulum tuum, qui eodem vestietur, sub tua protectione conservare, & copiosis meritis atque virtutibus ditare digneris. Concede Domine, ut fragrantia hujus Habitûs sit sicut odor thuris, qui Angelos lætificet, Dœmones verò in fugam vertat. Et sicut Isaac sentiens vestimentorum filij sui Iacob fragrantiam, impertijt ei paternam benedictionem, sic & tu, Pater cœlestis famulo tuo hoc habitu benedicto induto divinam tuam benedictionem impertiri digneris. Per Christum Dominum &c.

Postea aspergat Habitum dicens: Bene-

Digitized by Google

Benedicatur, & Sanctificetur Habitus iſte in nomine Patris ✠ & Filij &c.

Benedictio Chordæ ſeu Cinguli.

Verſ. Adjutorium noſtrum &c. *Reſp.* Qui fecit &c.
Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui ut ſervum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluiſti: bene ✠ dic, quæſumus, cingulum iſtud, & præſta: ut famulus tuus, qui eo velut ligamine pœnitentiali ſui corporis cingetur, vinculorum ejuſdem Domini noſtri Jesu Chriſti perpetuo memor exiſtat, & in Ordine quem aſſumpſit perenniter perſeveret, tuíſque cum effectu ſemper obſequijs ſe alligatum eſſe cognoſcat. Per eundem Chriſtum &c.

Aſpergatur aquâ benedictâ

Benedictio Habitûs Parvulorum ex voto induendorum.

Cùm Parvulus aliquis voti aut devotionis causâ noſtri Ordinis Habitu induendus fuerit, Sacerdos Superpelliceo & ſtolâ indutus, benedicat veſtimenta in aliquo Altari ad cornu Epiſtolæ jacentiâ modo ſequenti.

Verſ. Adjutorium noſtrum &c. *Reſp.* Qui fecit &c.
Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Chriſte, qui pro ſalute noſtra ſuſcipiens humanam naturam, te veſtimento carnis induere dignatus

Digitized by Google

es, benedictione tuâ ſanctâ bene✠dic iſta parvula veſtimenta, quæ pro gratijs tibi exſolvendis cum omni devotione, ſanctóque voto, ac veneratione Beatiſſimæ Virginis Mariæ & S. P. N. Franciſci infans iſte ſuper ſe ſuſcepturus eſt. Infunde in eum quæſumus tuam ſanctam bene✠dictionem: ut cum primùm induerit hoc Religioni ſimile veſtimentũ, intercedente B. P. N. Franciſco deſcendat ſuper eum gratia tua, & protegat illum ab omni malo mentis & corporis. Qui vivis & regnas &c.

Benedictio Chordæ ſeu Cinguli.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ut ſervum redimeres Filium tuum per manus impiorum ligari voluiſti: Bene✠dic quæſumus cingulum iſtud, & præſta: ut infans iſte, qui eodem in memoriam vinculorũ ejuſdem filij tui, & ad honorem B. P. N. Franciſci cingetur, indulgentiam tuæ ſanctæ miſericordiæ conſequatur & ab omni malo animæ & corporis liberari mereatur, Præſtante eodem Domino noſtro Jesu Chriſto filio tuo; qui tecum &c.

Aſpergat aquâ benedictâ & veſtimenta & chordam adoleátque incenſo.

Deinde exuit eum ſuis veſtimentis, & dicit:

Eripiat Dominus de corde tuo Pompas, quibus abrenuntiaſti, dum baptiſmum ſuſcepiſti.

Pſalm. Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab inſurgentibus in me libera me. Eri-

Digitized by Google

Eripe me de operantibus iniquitatem; & de viris sanguinum salva me. Gloria Patri & Filio &c.

Postea induat eum Habitu dicens:

Immittat in te Dominus sanctum Religionis amorem, sanctóq; fervore succendaris, & ardeas cœlestium bonorum desiderio.

Psalm: Laudate pueri Dominum &c.

Quô absoluto cingat eum dicens:

Præcingat te Dominus zona justitiæ ut immaculatus conserves omnia mandata sua.

Psalm: Laudate Dominum in sanctis ejus &c.

Deinde det ei candelam accensam, & dicat:

Vers. Domine exaudi &c. *Vers.* Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Domine Jesu Christe, lux vera de vero lumine, quæsumus clementiam tuam: ut per intercessionem B. P. N. Francisci mentem parvuli hujus illumines, ut cùm ad annos discretionis pervenerit, sancto tibi animo, corporéque deserviat. Qui vivis & regnas cum Deo &c.

Postea benedicat puerum offerendo eum super Altare dicens:

Confirma Deus in puero, quod operari fecisti à templo sancto tuo, deducat eum Spiritus tuus bonus in terram rectam & bene✠dictio tua sit super eum semper.

Demum reddat eum Parentibus, & conversus ad circumstantes Aspergat eos aquâ benedictâ & dicat:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠ & Filij & Spiri-

Digitized by Google

eus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. ℟. Amẽ.

Benedictio adexuendum Parvulum expleto voto.

Verſ. Adjutorium noſtrum &c. *Reſp.* Qui fecit &c.
Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus, à quo deſcendit omne bonum, & omne donum, tibi gratias referimus, & expleta vota reddimus: ſuſcipe vota noſtra cum actionibus gratiarum, & intercedente B. V. Maria, ſanctoque Patre noſtro Franciſco huic infanti de cætero præſta ſalutem mentis & corporis, ut te Creatorem rectâ fide colat, in te Redemptore ſpem ſuam confirmet, teque ſummum bonum ſuper omnia diligat, atque ſanctis mandatis tuis ſemper obediat. Per Dominum noſtrum &c.

Deinde exuendo Habitum dicat:

Reddite vota veſtra Deo cum actibus ſuis.

Pſalm: Laudate Dominum omnes gentes, &c.

Poſteà deponat habitum ſuper Altare, & dicat:

Verſ. Domine exaudi &c. *Verſ.* Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

Suſcipe ſancte Pater, omnipotens æterne Deus vota, precéſque ſupplicum, & per interceſſionem B. V. Mariæ, & S. P. N. Franciſci præſta nobis ità beneficia tua cognoſcere, ut in gratiarum actione ſemper maneamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. Amen.

Dein-

Digitized by Google

Deinde aſpergat aquâ benedictâ circumſtantes, & dicat:

Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. ℟. Amen.

CAPUT XLVII.

De Ritu exorciſandi Nubes ad expellendas & fugandas tempeſtates.

IMminente aliquâ tempeſtate tonitruorum, fulgurum, grandinum. Ventorum &c. campana pulſetur à Sacriſtano vel alio Fratre, priùs ſigno, ut ſit in ſalutatione Angelica, deinde longius pleno tractu, quamdiu tempeſtas durat: quô audito Fratres ſe conferant ad Eccleſiam, & accenſo Cereo Paſchali ante majus Altare genuflexi devotè orent ad avertenda damna tempeſtatis; & ſi major neceſſitas urget, aperiatur oſtiolum Tabernaculi, in quo SS. Sacramentum aſſervatur, accenſis ſex candelis.

Deinde (remanentibus ibidem Fratribus & Litanias omnium SS. Hebdomadario vel ſeniore incipiente, recitantibus, ix quibus bis dicatur A fulgure & tempeſtate *cum infrapoſitis orationibus) Superior vel alius ab eo ordinatus Sacerdos ſe ſuperpelliceo & ſtolâ induat, & cum aliquibus, quorum unus crucem parvam, alius verò candelam benedictam accenſam & vas aquæ benedictæ deferat, aſcendat ad locum eminentem ex quo nubes, quæ majus periculum inducturæ videntur, perſpici poſſunt, ibique ſi commodè fieri poterit, genaſlectent: Sacerdos verò, verſo ad tempeſtatem vultu, incipiat contra eam ſequentem exorciſmum,* quem dicunt Gregorium XIII. ordinaſſe.

Per ſignum Cru✠cis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter.

In nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Credo in Deum. *dicitur totum.*

De-

Digitized by Google

Deinde. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.
Pater noſter. *totum.*
Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Sit nomen Domini benedictum.
Reſp. Ex hoc nunc. & uſque in ſæculum.
Verſ. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus,
Reſp. Et fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.
Verſ. Exurge Chriſte adjuva nos.
Reſp. Et libera nos propter nomen tuum.
Verſ. Domine exaudi &c. *Verſ.* Dominus vobiſcum.

Oremus.

Domine Jesu Chriſte, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, quíque flumini Jordani benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti, & tuas ſanctiſſimas manus, & brachia ſanctiſſima in Cruce ✠ extendiſti, quibus aërem ſanctificaſti: obſecramus immenſam pietatis & bonitatis tuæ abundantiã, quatenus has nubes, quas ante me, & poſt me, & ſupra me à dextris, & à ſiniſtris video aërem perturbare. diſſolvere & annihilare digneris, ut alligata poteſtas dœmonum impiè deſævientium deficiat, & turbetur ad laudem tui ſanctiſſimi nominis, & potentiſſimæ Majeſtatis tuæ. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in ũnitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorũ. ℟. Amen.

Deinde converſus ad nubes ſignet eas ſigno Crucis, dicens:

Circumdet te nubes Deus ✠ Pater: circumdet te Deus ✠ Fili-

Digitized by Google

Filius: circumdet te Deus Spiritus ✠ Sanctus. Deſtruat te Deus ✠ Pater: deſtruat te Deus ✠ Filius; deſtruat te Deus Spiritus ✠ Sanctus. Comprimat te Deus ✠ Pater: comprimat te Deus ✠ Filius: comprimat te Deus Spiritus ✠ Sanctus. Benedicat te Deus ✠ Pater: benedicat te Deus ✠ Filius: benedicat te Deus Spiritus ✠ Sanctus. Dividat te Deus ✠ Pater: dividat te Deus ✠ Filius: dividat te Deus Spiritus ✠ Sanctus. Annihilet te Deus ✠ Pater: annihilet te Deus ✠ Filius: annihilet te Deus Spiritus ✠ Sanctus. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritûs ✠ Sancti, Amen

Obſecratio.

Sanctus Matthæus, Sanctus Marcus, Sanctus Lucas, Sanctus Joannes Evangeliſta, qui Chriſti Evangelium per quatuor mundi partes divulgârunt, ipſi ſuis meritis & precibus hanc tempeſtatem à termino iſto, & ab omnibus Chriſtianorum finibus, ab eodem Domino noſtro Jesu Chriſto obtineant effugari, & depelli.

Exorciſmus.

Et ego peccator, & Chriſti Sacerdos, ſeu miniſter (licèt indignus) auctoritate, & virtute ejuſdem Dei, & Domini noſtri Jesu Chriſti, ſummi Imperatoris, non meâ potentiâ innixus, & confiſus, vobis præcipio, immundiſſimi Spiritus, qui has nubes, ſeu nebulas concitatis, in virtute ejuſdem Dei, & Domini noſtri Jesu ✠ Chriſti per ſanctiſſimam ejus Incarnationem, per ſanctam Nativitatem, per Bapiſmum & Jejunium ipſius, per ejus Sacratiſſimam Crucem

Digitized by Google

cem ✠ & passionem, per sanctam Resurrectionem, per admirabilem Ascensionem, per tremendum Adventum ejus, & Judicium, per merita intemeratæ semperque Virginis Mariæ, & sanctissimi N. & per merita omnium Sanctorum, ut exeatis ab eis, & eas dispergatis in locis sylvestribus, & incultis, quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscunque rebus, humanis usibus deputatis, Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp:* Amen.

Ipse vobis imperat Dœmones, qui has nubes commovetis, de quo de nube lucida dictum fuit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ✠ Ipse vobis imperat qui suâ Sacratissimâ Cruce & corporis sui sanctissimi in ea extensione aërem purgavit. ✠ Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortémque devicit, & ligavit, atq; æternis gehennæ mancipavit ignibus. ✠ Ipse vobis imperat, qui, inferno Spoliato, surrexit à mortuis. ✠ Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies nube susceptus, virtute suâ ascendit in cœlum. ✠ Ipse vobis imperat, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp:* Amen.

Postea ostendat crucem in aëra, dicens:

Ecce signum Sanctissimæ Crucis: ✠ fugite partes adversæ: vicit enim vos, & mundum Dominus noster Jesus Christus

Digitized by Google

ſtus Filius Dei, Imperator ſummus, Leo de tribu Juda, Radix David.

Deinde aſpergat nubes in modum Crucis ad quatuor latera. Et ſi nondum quievit tempeſtas, & Litaniæ Om: SS. non fuiſſent dictæ, dicantur ut ſupra ante majus Altare cum ſubſequentibus Orationibus.

Orationes poſt Litanias Om: SS. dicendæ.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, quæſumus, ut deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſoribus largiaris.

Omnes Sancti tui, quæſumus Domine, nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentimus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam.

A Domo tua, quæſumus Domine, ſpirituales nequitiæ repellantur, & aërearum diſcedat malignitas tempeſtatum.

Ad te Domine clamantes exaudi: & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus: ut qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur, miſericordiâ tuâ præveniente clementiam ſentiamus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos caſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas, præſta ſupplicibus tuis, ut aëris tranquilitate, dono tuæ pietatis utamur, & miſericordiæ tuæ conſolatione lætemur. Per Dominum noſtrum &c. ℟. Amen. Divinũ auxil: &c.

FINIS.

Digitized by Google

Index Rerum præcipuarum in hac prima parte contentarum.

A.

Absolutiones variæ.

Absolutio Sacramentalis ordinaria. pag: 157.
Absolutio ab Hæresi. pag: 160.
Absolutio Sacramentalis Apostatæ à Fide. pag: 161.
Absolutio Religiosi Apostatæ extra sacramentum. pag: 161.
Absolutio ab Excommunicatione majori in foro Conscientiæ. pag: 163.
Absolutio tempore Jubilæi. pag: 163.
Absolutio generalis & plenaria Superiorum Regularium in visitatione suorum Fratrum. pag: 164.
Absolutio Generalis, quæ dari solet Fratribus in articulo mortis. pag: 232.
Absolutiones in Anniversario Fratrum & die Comm: omnium Fidelium defunctorum ad tumulos tam intra quàm extra Ecclesiam faciendæ. pag: 287.

Adventus.

Tempus Adventuale à quo institutum & quomodo celebrandum. pag. 1.

Antiphona.

Antiphona in Vigilia Epiphaniæ dum Conventus benedicitur dicenda. pag: 40.
Antiphona ante Litanias omnium Sanctorum in Festo S. Marci, & diebus Rogationum cantanda. pag. 105.
Antiphona in Processione Festi Purificationis B. V. Mariæ. pag: 50.
Antiphonæ & Versus in Processione Dici Palmarum. pag: 64.

Aqua benedicta.

Aspersio Aquæ benedictæ quando & quomodo facienda. pag: 142.

B.

Bededictiones Variæ.

Benedictio Agni Paschalis. pag: 101.
Benedictio Aquæ in Vigilia Epiphaniæ. pag: 15.
Benedictio Auri Myrrhæ & Thuris in Vigilia Epiphaniæ. pag: 37.
Benedictio Carnium quarumcunque in Paschate. pag: 102.
Benedictio Cererum in Festo S. Blasij E. & M. & quomodo cum illis benedictio contra malum gutturis danda. pag: 53.
Benedictio Charta contra Febres. pag: 306.
Benedictio Charta pro Brevibus compingendis, & alijs rebus sacris involvendis ad fugandum dæmonem & maleficia. pag: 306.
Benedictio Chordæ seu Cinguli Fratrum. pag: 311.
Benedictio Chordæ seu Cinguli Parvulorum ex voto induendorum. pag: 312.
Benedictio Conventûs in Vigilia Epiphaniæ. pag. 40.
Benedictio Corporalium & Pallarum pag: 299.
Benedictio Cretæ in Vigilia Epiphaniæ. pag. 39.
Benedictio Crucis novæ. pag: 300.

Bene-

Digitized by Google

Benedictio Crucis parva. pag: 301.
Benedictio Habitûs Fratrum. pag: 309.
Benedictio Habitûs Parvulorum ex voto induendorum. pag: 311.
Benedictio Incensi in Vigilia Epiphaniæ. pag: 39.
Benedictio Indumentorum Sacerdotalium in genere. pag: 295.
Benedictio cujuslibet indumenti in specie. pag: 296.
Benedictio Mapparum & Tobalearum sive Linteaminum Altaris. pag: 297.
Benedictio Ovorum in Paschate. pag: 103.
Benedictio Panis in Paschate. pag: 103.
Benedictio Purificatoriorum. pag: 300.
Benedictio Rosariorum Coronarum & Psalteriorum. pag: 308.
Benedictio Sepulchri. pag: 282.
Benedictio Tabernaculi seu Vasculi pro SS. Eucharistia conservanda. pag: 300.
Benedictio Vasorum & aliorum ornamentorum Altaris in genere. pag: 298.
Benedictio Vini in Festo S. Joannis Evangelistæ. pag: 12,
Benedictio Fratribus in fine Quadragesimæ Benedicta danda. pag: 55.
Benedictio ad exuendum Parvulum expleto voto. pag: 314.

C.

Commendatio Animæ.

Quomodo peragenda. pag: 261.

Communio.

Qualiter distribuenda. pag: 168.

Confessarius.

Quâ scientiâ debeat esse præditus, & quid ipsi ante, in, & post Confessiones exceptas agendum. pag: 54.

D.

Defectus.

Defectus in Sacrificio Missæ contra Rubricas generaliter committi soliti. pag: 193.
Defectus in ipsa celebratione contra Rubricas committi soliti. pag: 200.

Dominica.

Dominicâ Palmarum quid observandum. pag: 62.
Dominicâ Resurrectionis & toto tempore Paschali quid observandum. pag: 100.

E.

Exequiæ.

Exequiæ Defuncti Fratris qualiter celebrandæ. pag: 275.

Exorcismus.

Contra imminentem tempestatem tonitruorum, fulminum, grandinum, ventorum &c. pag. 315.

F.

Feria.

Feriâ IV. Cinerum quid sit & quid in ea observandum. pag: 56.
Feriâ IV. Hebdomadæ majoris qua peragenda. pag: 68.
Feriâ V. in Cœna Domini qua peragenda, pag: 71.
Feriâ VI. Parasceves qua peragenda. pag: 81.

Digitized by Google

Festum.

Quomodo Festum Corporis Christi celebrandum. pag: 100.

Quænam Festa sub ritu dupl: 1. Classis & quænam sub ritu dupl: 2. Classis celebranda. pag: 118.

H.

Hymnus.

Hymnus Veni Creator Spiritus *in Jubilæo Ordinis & Sacerdotij cantandus.* pag: 134.

I.

Jejunium.

Iejunium Benedicta cur observandum. pag: 54.

Incensatio Altaris.

Quo ordine fieri debeat, schemate exhibetur. pag: 148.

Infirmus.

Infirmis Fratribus qualiter assistendum. pag: 244.

Irregularitas.

Dispensatio super Irregularitate. pag: 163.

Iubilæum.

Iubilæum Ordinis & Sacerdotij quomodo celebrandum. pag: 132.

L.

Litaniæ.

Litaniæ Majores & Minores à quo institutæ. pag: 104.

Litaniæ sub administratione extremæ Unctionis. pag: 235.

Litaniæ dicendæ dum infirmus agonizat. pag: 261.

Lotio pedum.

Lotio pedum in Cœna Domini qualiter peragenda. pag: 77.

M.

Missa.

Missa Adventualis Rorate *quando & quomodo celebranda.* pag: 1.

Missa coram Episcopo & Imperatore quomodo dicenda. pag: 176.

Missa Feriarum & Vigiliarum quomodo dicenda. pag. 190.

Missa pro defunctis qualiter & quando dicenda. pag: 187.

Missa Neomystæ quomodo dicenda. pag: 129.

Missa Votiva quomodo & quando dicenda. pag: 184.

Modus scribendi Romam.

Pro dispensatione casuum ad S. Pœnitentiariam pertinentium. pag: 165.

N.

Nativitatis Domini.

Qualiter Sacratissima Nox & Dies Nativitatis Domini celebranda. pag: 7.

O.

Officium Divinum.

Quo tono vocis & quibus pausis decantandum. pag: 213.

Orationes Variæ.

Orationes per Octavam Corporis Christi, & aliàs post Litanias B. V. ante Venerabile Sacramentum dicendæ. pag: 114.

Oratio dicenda antequam Sacerdos ad andi-

Digitized by Google

audiendas Confessiones accedat. pag: 155.
Oratio dicenda post auditas Confessiones. pag: 157.
Orationes dicendæ post Te Deum Laudamus. *in receptione Generalis Ministri. pag: 182.*
Oratio ante sumptionem Sacri Viatici. pag: 223.
Oratio post Sumptionem. pag: 226.
Oratio ab infirmo dicenda post extremam Unctionem. pag: 242.
Oratio Infirmi ad Christum in extremo vitæ periculo. pag: 247.
Oratio ad Beatam Virginem. pag: 248.
Oratio ad omnes Sanctos. pag: 249.
Tres Orationes mirâ virtutis à Circumstantibus dicendæ pro agonizante. pag: 268.
Orationes aliæ à Circumstantibus dicendæ. pag: 271.

P.

Pax.

Pax quomodo danda. pag. 152.

Preces 40. Horarum.

Qualiter instituendæ. pag: 122.

Processio.

Processio quid & quomodo instituenda. pag: 118.

Professio.

Professio fidei Catholicæ latinè & germanicè. pag: 234.
Professionis forma in Ordine Fratrum Minorum. pag: 234.
Professionis forma in Iubilæo Ordinis. pag: 137.

Q.

Quadragesima.

Quadragesimali tempore quæ observanda. pag: 59.

R.

Resurrectio.

Resurrectio in Sabbato Sancto quomodo celebranda. pag: 98.

Ritus varij.

Ritus Benedicendi Res Sacras. pag: 244.
Ritus recipiendi Episcopum & Imperatorem. pag: 175.
Ritus recipiendi Generalem Ministrum. pag: 181.
Ritus administrandi Sacramentum Pœnitentiæ. pag: 153.
Ritus administrandi S. Viaticum Fratribus infirmis. pag: 221.
Ritus administrandi Sacramentum extremæ unctionis. pag: 228.

S.

Superpelliceum.

Superpelliceo quando utendum. pag: 145.

Suspiria.

Suspiria infirmi ad Christum. pag: 245.
Suspiria agonizanti suggerenda. pag: 257.
Suspiria ad B. Virginem & SS. Patronos. pag: 260.
Suspiria in exspiratione. pag: 273.

T.

Testamentum.

Testamentum Animæ. pag: 250.

Digitized by Google

Thurificatio.

Thurificatio quomodo facienda, pag: 146.

V.

Vigilia.

In Vigilia Ascensionis Domini qua observanda, pag: 107.

In Vigilia Epiphaniæ Domini quid peragendum. pag: 14.

Vigilia Nativitatis Domini quomodo celebranda. pag: 4.

Vigilia Pentecostes quomodo celebranda. pag: 108.

FINIS.

Digitized by Google